DE ANALOGIA SECUNDUM DOCTRINAM ARISTOTELICO-THOMISTICAM

Miraberis forsan, hispane lector, me non patrio, sed latino sermone hic scribere; cessabit tamen, ni fallor, admiratio tua, si rationes quibus ad hoc sum permotus vel paululum considerare velis.

Prima dessumitur *ex parte materiae vel objecti tractandi.* Exponere siquidem intendo nonnullas quaestiones fundamentales aristotelico-thomisticas, quae a modernis scholasticis vel ignorantur vel certe non penitius intelliguntur, imo et quandoque deturpari videntur. Ad hoc autem fontes ipsos adire oportet nativaque lingua proprios auctores loqui permittere, quo fit ut, latini plerumque cum sint, unitas scriptionis latinum sermonem exposcat.

Altera petitur *ex parte illorum ad quos diriguntur quaestiones istae;* non enim pro saecularibus et profanis, sed pro thomistis primum, et deinde pro omnibus illis ecclesiasticis, qui germanam S. Thomae doctrinam cognoscere et amplecti volunt, haec scribuntur; jam autem, omnibus istis familiaris est lingua latina, in qua, caetoroquin, melius exprimuntur hujusmodi.

Accedit demum quod non semel multi, hispanicae linguae ignari, enixe a me petierunt ut lingua eis nota quaestiones istas versare velim. Sic etiam fiet, ut omnes propriis oculis mentem nostram cognoscere valeant, et, si forte a recta via thomisticae doctrinae aberrare me deprehenderint, ne, quaeso, dedignentur me tempestive monere, cui nihil veritate charius.

Motiva haec valida visa sunt R. P. Getino, hujus Ephemeridis moderatori dignissimo, qui et votis meis annuere benigne dignatus est, eo vel magis quod latina lingua inter *officiales,* ut ajunt, Commentarii hujus adnumeretur.

Hoc unum addere liceat, me *objectivae* expositioni thomisticae doctrinae totum incumbere, resecatis scholasticorum tricis modernorumque quaestionibus praetermissis; si enim *vetera* velimus *novis augere,* ne-

cesse est prius vetera ad amussim cognoscere et ad instar fundamenti ponere, ne ex illis simus qui, nec vetera nec nova callentes, omnia susque deque verterunt et ita modernorum risum veterumque indignationem provocarunt. Prius ergo vetera volvamus, deinde nova perquiramus, et tunc demum utraque fructuose comparare valebimus, utilia assimilantes nocivaque expellentes, quemadmodum, Deo dante, facturi sumus tempore suo.

Si quae tamen ex adversariis, seu antiquis seu modernis, in medium proferuntur, non per se, sed ut necessaria visa sunt ad doctrinam peripateticam melius percipiendam, considerantur, ita sane ut, non tam litteram quam spiritum peripateticum referre videamur. Quod si lectores nonnullas observationes vel animadversiones facere dignentur, unum e duobus respicere velint: *aut* expositionem nostram non esse formaliter vel saltem aequivalenter *fundatam* in Aristotele et S. Thoma, *aut* ex illorum principiis non esse *legitime deductam*. An vero doctrina haec sit in se vera vel falsa —pro nobis utique vera est— alterius est negotii.

* * *

Auspicamur autem a quaestione DE ANALOGIA, quae nobis omnino necessaria videtur ad caeteras formaliter intelligendas. Sane quidem, quum objectum proprium Metaphysicae sit ens in quantum ens, quod analogum est, plane infertur nullam notionem metaphysicam non esse analogam; iterum, quia notio entis *analogice* dicitur de Deo et creaturis, super quam caeterae omnes ipsis communes superstruuntur, omnino sequitur notiones theologicas omnes analogas esse (1). Quicumque ergo, analogiae ignarus, interiora Metaphysicae vel Sacrae Theologiae penetrare voluerit, impossibilia molitur jejunusque abscedet. Unde *Cajetanus*, magnus ille metaphysicus et theologus, haec scribere non dubitavit: "Est siquidem ejus (scilicet analogiae) notitia adeo necessaria ut, *sine illa non possit Metaphysicam quispiam discere et multi in aliis scientiis ex ejus ignorantia errores procedant.* Quod si ullo usquam tempore accidit, hac aetate id evenire clara luce videmus (2)." Et rursus: "unde *sine hujusmodi analogiae notitia metaphysicales processus absque arte discuntur,* acciditque hujusmodi ignorantibus quod *antiquis nescientibus Logicam,* ut in II Elenchorum dicitur". Et addit: "Nec fuit forte ab Aristotelis tempore tam periculosus casus iste sicut modo apud nos est; quoniam *blasphemare* fere videtur qui *metaphysicales* terminos *analogos* dicens, secundum *proportionalitatem communes* exponit (3)."

(1) Cfr. S. THOMAM, *De Pot.*, q. 7, art. 7; *III Sent.*, dist. 34, q. 1, art. 1 ad 3; CAJET., *De analogia nominum*, cap. 5, edit. *de Maria*, 1907, pág. 261, cap. 10, págs. 275 sqts.

(2) Op. cit., cap. 1, pág. 249.

(3) Ibidem, cap. 3, pág. 256. Cfr. etiam CARD. SATOLLI, in I, q. 13, art. 5, pág. 518.

Nonnullos defectus hac etiam in re inter quosdam scholasticos irrepsisse non infitias ibo, qui mordicus et non sine exaggeratione corripiuntur a *Melchiore Cano* (1); sed qui inde provenisse videntur quod quaestio haec *potius dialectice quam metaphysice* tractarint, cum tamen *ex propriis metaphysicalis sit*, ut ex decursu tractationis apparebit (2). Cum enim *analogia ipsa analoga sit* et idcirco non perfecte ab analogatis abstrahat, cumque summum analogatum inter caetera quae *in actu exercito* analogari queunt sit *entis analogia*, manifestum est tractatum de analogia *in actu signato* ad scientiam de ente pertinere, quae *Metaphysica* est. Secus contactum, ut ajunt, cum realitate amittentes, in vitium logicismi aut potius nominalismi facilis patet gressus, ut vel ex ipsa historia philosophiae compertum habemus.

Tria ergo de analogia singillatim enucleabimus: 1.° *quid* sit; 2.° *quotuplex;* 3.° denique quaenam sint ejus *proprietates* (3).

I

NOTIO ANALOGIAE

"Graecum nomen ἀναλογία, ait S. Augustinus, nostri *quidam* (4) PROPORTIONEM vocaverunt, quo nomine utamur, si placet. Non enim libenter, sed necessitate, graeca vocabula in latino sermone usurpave-

(1) "Quis enim, ait ipse, ferre possit disputationes illas de universalibus, *de nominum analogia*, de primo cognito, de principio individuationis (sic enim inscribunt), de distinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo, de infinito, de intensione et remissione, de proportionibus et gradibus deque aliis hujusmodi sexcentis, quae ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis et diligentiae adhibuissem, animo vel informare non poteram? *Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui haec tractarunt*" (*De Locis theolog.*, lib. IX, cap. 7, edit. Matrit., 1770, t. I, pág. 542).

(2) Propterea BÁÑEZ pulchre dixit quod tractare de analogia ex propriis *solius Logicae* "*esset extra chorum canere*" (*Institutiones Minoris Dialecticae, quas Summulas vocant*, lib. I, cap. 1, p. 6, edit. Salmanticae, 1599). Et hoc idem tenent ex recentioribus CARD. SATOLLI (*Praelect. in Summam Theolog. D. Thomae Aq.*, t. I, p. 57, Romae, 1888), LORENZELLI et DE MARIA, qui in suis Ontologiis et non in Logica de hac re quaestionem fecerunt. ARISTOTELES autem sat clare idipsum innuit in *I Ethic. Nic.*, III, 13; edit. Didot, II, 5, 17 sqts.

(3) De facto ad has tres quaestiones, quae ad amussim respondent tribus operationibus mentis, omnia, quae de re aliqua cognosci possunt, reducuntur: nam *ad primam* pertinet definitio, quia est apprehensiva *quod quid est; ad secundam*, divisio, quae forma quaedam judicii est; *ad tertiam*, proprietates, quae ex definitione deducuntur per syllogismum.

(4) Quos inter memorare juvat TULLIUM CICERONEM dicentem: "Quod graece ἀναλογία latine *comparatio proportiove* dici potest" (*De Univers.*, 12). Cui accedit QUINTILIANUS: "ἀναλογία... quam proxime ex graeco in latinum transferentes *proportionem* vocaverunt. Ejus haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid *simile*, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet". (*Instit. Orat.*, lib. I, cap. 8, edit. Basileae, 1529, pág. 49). Et infra: "ἀναλογίαν quidam a *simili* separaverunt, nos *eam subjectam huic generi* putamus. Nam *ut* unum ad decem *sic* decem ad centum, simile certe est, et *ut* hostis, *sic* malus civis" (*Ibidem*, lib. V, cap. 11, pág. 319).

rim" (1). Et merito quidem, ut ex ipso Aristotelis usu constat, qui *proportionem* mathematicam (2) et medium justitiae (3) et proportionem metaphysicam (4) ἀναλογίαν vel τὸ ἀνάλογον vocat. Unde S. Thomas saepe id quod Philosophus *analogice* dicit, *proportionaliter* aut *secundum proportionem* interpretatur (5), ut vel ipsum nomen significare videtur; ἀνα-λογία enim *iterationem* (ἀνὰ) aut comparationem seu habitudinem duarum *rationum* (λόγον) ut in mathematicis usu venit, importat.

Jam, si analogiae *realem* definitionem *venari* cupiamus (6), duplex ad hoc patet via: *prima* quidem *a posteriori,* quam peripatetici vocare solent *inductivam, compositivam* aut *per similitudines,* et fit *ascendendo* ab inferioribus seu particularibus ad superiora vel universalia; *altera* vero *a priori,* quae etiam appellatur *deductiva, divisiva* aut *per differentias,* et fit *descendendo* a superioribus vel universalioribus ad minus universalia vel inferiora, ita sane ut, *idipsum* quod est superius in *prima* sit inferius in *secunda,* idque sit praecise res ipsa cujus definitio quaerebatur, et sic terminus *ad quem* utriusque viae *ad essentiam* rei definitae *pertingat.*

Prima via facilior est et prior *quoad nos;* secunda vero difficilior, sed prior *quoad se,* certior tamen et efficacior. Incipiamus ergo a via faciliori.

§ I

VENATIO DEFINITIONIS ANALOGIAE SECUNDUM VIAM **inductivam.**

Via haec pergit *ascendendo* per significationes *reales* verbi **proportio** secundum *diversas similitudines;* proportio enim *proprie* loquendo et secundum *primam nominis* impositionem *in quantitativis* est nihilque est aliud quam *habitudo vel collatio quantitatis ad quantitatem secundum determinatum excessum vel adaequationem,* sicut numerus 20 proportionem habet ad 10, quia *excedit* in *duplo,* vel sicut 100 respectu 50 habet proportionem cum 20 respectu 10, quia *utrobique* datur *adaequatio* exces-

(1) *De Musica,* lib. I, cap. 12, núm. 23. *Opera,* edit. Maur., Venetiis, 1756, t. I, col. 561, CD. Cfr. ibid., 562, B. Edit. Parisiens., 1555, t. I, fol. 73 vers.

(2) *XI Metaph.;* III, 11 (II, 614, 48), XIII, VI, 8 (II, 637, 50 sqts.); *V. Ethic Nic.,* IV, 9 (II, 57, 10-11).

(3) *V Ethic. Nic.,* III, 8 sqts. (II, 55, 39 sqts.); *Mag. Moral?,* I, XXXIV, 7 sqts. (II, 151, 19 sqts.).

(4) *III Metaph.,* II, 1-2 (II, 500, 14 sqts.); *VIII Metaph.,* VI, 3-4 (II; 568; 4 sqts.); *X Metaph.,* III, 1-5 (II, 587, 18 sqts.); *I Ethic. Nic.,* VI, 2-4, 9-13 (II; 4; 16 sqts.; 50 sqts.).

(5) Cfr., v. gr., *I Physic.,* lect. 10, n. 7; lect. 13, n. 9; *I de Coelo et Mundo,* lect. 14, ns. 3-4; lect. 20, n. 2; II, lect. 11, n. 4; *I Metaphysic.,* lect. 8, edit. *Cathala,* n. 879; *de Verit.,* q. 2, art. 11.

(6) Aptissime Aristoteles venationi comparat investigationem definitionis; sed de hac re et de modo venationem faciendi, postea, Deo dante, specialis sermo fiet.

sus *determinati,* nempe in *duplo,* unius respectu alterius; *sicut* enim **20** est duplum 10, *ita* 100 est duplum 50.

Quia vero *quantitas* sumitur *dupliciter,* scilicet **mathematice** (praedicamentaliter) pro quantitate *dimensiva* seu *molis* vel *extensiva,* et **metaphysice** (transcendentaliter) pro quantitate *virtuali* seu *perfectionis* vel *intensiva,* ideo et nomen **proportionis** (quod *primo* impositum fuerat ad standum pro habitudine quantitatis dimensivae tam continuae quam discretae ad quantitatem dimensivam continuam vel discretam secundum determinatum execessum vel adaequationem, sicut est habitudo superficiei ad superficiem aut numeri ad numerum) *postmodum ampliatum* est ad standum ***pro habitudine quacumque quantitatis virtualis ad quantitatem virtualem,*** et quia hujusmodi quantitas *vagatur per omnia genera,* utpote ***transcendentaliter*** sumpta, inde est quod proportio *metaphysice* accepta dicitur ***habitudo cujuslibet rei ad alteram vel cujuscumque ad quodcumque qualitercumque,*** sicut materia dicitur esse proportionata formae et faciens facto et causatum causae et potentia actui et e converso (1).

(1) Et ratio est, quia in istis sensibilibus a quibus initium cognitionis nostrae sumitur, tunc dicitur unumquodque *perfectum* quando ad *debitam quantitatem* pervenit, quae est terminus *virtutis evolutivae* ipsius; ex hoc autem intellectus metaphysicus considerat *perfectionem tantum, abstrahendo a mole,* et sic quantitas remanet metaphysica seu transcendentalis. Pariter quantitas in mathematicis consideratur formaliter sub ratione *figurae,* quae est *forma* quanti in quantum hujusmodi (nam quantitas discreta seu multitudinis fundatur in quantitate continua); sed deinde metaphysicus non respicit amplius figuram ut passionem quantitatis, sed *ut forman tantum,* et sic, ex quantitate *molis* tam physice quam mathematice considerata, metaphysicus *assurgit* ad quantitatem *virtutis,* quae passio *entis* est, quod ex propriis considerat. Et idem dic de aliis passionibus quantitatis, inter quas est *proportio.* Sed audiamus S. Thomam: "Augmentum, *sicut et alia ad quantitatem pertinentia,* a quantitatibus *corporalibus* ad res *spirituales et intellectuales* transferuntur, *propter connaturalitatem intellectus nostri ad res corporales,* quae *sub imaginatione* cadunt. Dicitur autem in quantitatibus corporeis aliquid *magnum* secundum quod *ad debitam perfectionem quantitatis* perducitur. Unde aliqua quantitas reputatur *magna* in homine quae non reputatur *magna* in elephante. Unde et *in formis* dicimus aliquid *magnum* ex hoc quod est *perfectum*" (I-II, q. 52, art. 1). Et alibi: "Quod aliquid dicatur *perfectum* per comparationem ad *virtutem propriam,* provenit quia *virtus et quaedam perfectio* rei. Unumquodque enim tunc est *perfectum* quando *nulla pars magnitudinis naturalis,* quae competit ei secundum speciem propriae virtutis, *deficit ei. Sicut* autem quaelibet res naturalis habet determinatam mensuram naturalis *magnitudinis* secundum *quantitatem continuam,* ut dicitur in II de Anima, *ita etiam* quaelibet res habet determinatam *quantitatem suae virtutis* naturalis. Equus enim habet quantitatem dimensivam determinatam secundum naturam cum aliqua latitudine; est enim aliqua quantitas, ultra quam nullas equus protenditur in magnitudine; et similiter est aliqua quantitas, quam non transcendit in parvitate. *Ita etiam* ex utraque parte determinatur aliquibus terminis quantitas virtutis equi; nam aliqua est virtus equi, qua maior in nullo equo invenitur; et similiter est aliqua tam parva, qua nulla est minor. *Sicuti* igitur *primus modus perfecti* accipiebatur ex hoc quod nihil rei deerat de quantitate *dimensiva* sibi naturaliter determinata, *ita hic secundus modus* accipitur ex hoc quod nihil deest alicui de *quantitate virtutis* debitae secundum naturam. Uterque autem modus perfectionis attenditur *secundum interio-*

Utrobique autem *duplex* est; **simplex**, si *duo tantum* termini comparentur ad invicem, quo in casu retinet simpliciter nomen *proportionis;* et **composita**, si *quatuor saltem* formaliter aut virtualiter conferantur, et tunc nomen obtinet *proportionalitatis,* quae nihil aliud est quam *proportio vel similitudo proportionum.* Sic v. gr., inter 4 et 2 est ***proportio simplex,*** quia 4 est quantitas dupla respectu 2; sed inter 4 et 2 et 20 et 10 datur *proportionalitas,* ita enim se habet proportio 20 ad 10 sicut se habet proportio 4 ad 2, utrobique enim datur dupla quantitas *antecedentis* respectu *consequentis.* Similiter in ordine quantitatis *virtualis,* inter materiam et formam datur *proportio simplex,* quia una alteri commensuratur, et pariter inter essentiam et esse; sed, si iterum ad invicem comparentur hujusmodi proportiones, habetur *proportionalitas* inter proportionem primam, quae *physica* est, et alteram, quae est proprie *metaphysica,* hoc modo: sicut se habet materia ad formam in ordine physico, ita se habet essentia ad esse in ordine metaphysico; utrobique enim datur proportio propriae potentiae ad proprium actum. Imo et ipsamet proportio, de qua fit sermo, exemplum nobis praebet: sicut enim se habet *proportio* quantitatis *virtualis* ad proportionem quantitatis *dimensivae* ipsam *ampliando,* ita se habet *proportionalitas* quantitatis *virtualis* ad proportionalitatem quantitatis *dimensivae ampliando* eam.

Sed audiatur *S. Thomas*: "Proportio secundum *primam* nominis *impositionem* significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem *determinatum* excessum vel adaequationem; sed *ulterius* est translatum ad significandum *omnem habitudinem cujuscumque ad aliud,* et per hunc modum dicimus quod materia debet esse proportionata ad formam (1)." "*Proportio* dicitur *dupliciter*: *uno modo certa habitudo* unius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum et aequale sunt species proportionis; *alio modo quoelibet habitudo unius ad alterum* proportio dicitur (2)." "*Proportio proprie* loquendo nihil est aliud quam *habitudo quantitatis ad quantitatem,* sicut quod aequalis sit una alteri vel tripla; et ex inde *translatum* est nomen proportionis ut *habitudo cujuslibet rei ad rem alteram* proportio nominetur, sicut dicitur materia esse proportionata formae in quantum se habet ad

rem perfectionem" (*V Metaph.*, lect. 18, n. 1036-1038). Denique alio in loco dicit: "Est autem *duplex quantitas,* scilicet *dimensiva,* quae secundum *extensionem* consideratur, et *virtualis,* quae attenditur secundum *intensionem; virtus* enim rei est ipsius *perfecto,* secundum illud Philosophi in VII Physic.: *unumquodque perfectum est quando attingit debitum propriae virtuti,* et sic quantitas virtualis uniuscujusque formae attenditur secundum modum suae *perfectionis. Utraque* autem quantitas *per multa diversificatur;* nam sub quantitate dimensiva continetur longitudo et latitudo et profundum et numerus in potentia; *quantitas* autem *virtualis in tot distinguitur quot sunt naturae vel formae,* quarum perfectionis modus totam mensuram quantitatis facit". (*De Verit.*, q. 29, art. 3). Cfr. etiam I, q. 42, art. 1, ad 1 et *I Sent.*, dist. 19, q. 3, art. 1 ad 1.

(1) *Suppl.*, q. 92, art. 1 ad 6.

(2) I, q. 12, art. 1 ad 4.

formam ut materia ejus, **non considerata aliqua habitudine quantitatis**, et similiter intellectus creatus est proportionatus ad videndam divinam essentiam, in quantum se habet ad ipsam quodammodo ut ad formam intelligibilem (1)." "Spiritualis ad corporale non est quidem proportio *proprie* proportione accepta secundum *determinatam habitudinem quantitatis ad quantitatem* vel DIMENSIVAE ad *dimensivam* vel VIRTUALIS ad *virtualem*, sicut duo corpora ad invicem sunt proportionata secundum dimensionem et virtutem; *large* tamen accepta proportione *pro qualibet habitudine*, sic est aliqua proportio spiritualis ad corporale, per quam spirituale naturaliter agere potest in corporale, quamvis non e converso, nisi divina virtute (2)."

"*Proportionalitas non solum invenitur in numero* unitatum, qui est numerus simpliciter et hic vocatur numerus monadicus, sed *universaliter invenitur proportionalitas in quibuscumque invenitur numerus*. Et hoc ideo, quia proportionalitas nihil aliud est quam *aequalitas proportionis*, cum scilicet *aequalem proportionem habet hoc ad hoc et illud ad illud*. Proportio autem nihil aliud est quam *habitudo unius quantitatis ad aliam;* quantitas autem habet rationem *mensurae*, quae *primo* quidem invenitur in unitate numerali et ex inde *derivatur ad omne genus quantitatis*, ut patet in X Metaphysic., et ideo numerus quidem primo quidem invenitur in numero unitatum, et *ex inde derivatur* ad omne aliud quantitatis genus, quod secundum rationem numeri mensuratur (3)."

"*Proportio nihil aliud est quam habitudo duorum ad invicem convenientium in aliquo secundum quod conveniunt aut differunt*. Possunt autem intelligi aliqua esse convenientia *dupliciter*: *uno modo* ex hoc quod convenit *in eodem genere quantitatis* vel *qualitatis*, sicut habitudo superficiei ad superficiem aut numeri ad numerum, in quantum unum excedit aliud vel aequatur ei, vel etiam caloris ad calorem, et sic nullo modo potest esse aliqua proportio inter Deum et creaturam, cum non conveniant in aliquo genere; *alio modo* possunt intelligi convenientia ita quod conveniant *in aliquo ordine*, et sic attenditur proportio inter materiam et formam, faciens et factum, et talis proportio requiritur inter cognoscentem et cognoscibile, cum cognoscibile sit quasi actus potentiae cognoscentis, et sic est proportio creaturae ad Deum ut causati ad causam et cognoscentis ad cognoscibile (4)."

Eodem fere modo loquuntur *B. Albertus Magnus* (5), *S. Bonaventura* (6) et plures alii (7). Liceat nobis haec pauca verba *Cajetani* transcribere:

(1) *De Verit.*, q. 8, art. 1 ad 6. Cfr. etiam *I Poster.*, lect. 12, n. 8; *III Contra Gent.*, cap. 54 in fine.

(2) *De Veritate*, q. 26, art. 1 ad 7.

(3) *In V Ethic.*, lect. 5.

(4) *In Boetium de Trinitate*, q. 1, art. 2 ad 3. Cfr. etiam *III, Sent.* dist. 1, q. 1, art. 1 ad 3, et alibi passim.

(5) *In II Topic.*, tract. II, cap. 6, edit. Vives, t. II, pág. 324 a; *V Ethic.*, tract. II, cap. 5, t. VII, pág. 345.

(6) *In III Sent.*, dist. 29, art. 1, q. 1 ad 2, edit. Vives, t. IV, pág. 651 a; *Illuminationes Ecclesiae in Exaemeron*, Sermo 16, t. IX, pág. 105 a.

(7) THOMAS BADUARDINUS, *Tractatus Proportionum*, cap. 1, fol. 10, col. 2-3; II Part., cap. 1, fol. 11, col. 2. Venetiis, mandato et sumptibus Oct. Scoti, 1505; MAG. BASSANI POLITI artium Doctoris, *Tractatus proportionum introductorius ad calcula-*

"Quamvis autem proportio vocetur certa habitudo unius quantitatis ad aliam, secumdum quod dicimus quatuor duplam proportionem habere ad duo, et *proportionalitas* dicatur similitudo duarum proportionum, secundum quod dicimus ita se habere octo ad quatuor, quemadmodum sex ad tria, utrobique enim dupla proportio est, *transtulerunt* tamen philosophi proportionis nomen ad *omnem habitudinem conformitatis, commensurationis, capacitatis,* etc., et consequenter proportionalitatem *extenderunt* ad *omnem similitudinem habitudinum,* et sic in proposito vocabulis istis utimur (1)."

Sedulo tamen notandum est quod metaphysice non tam rigurose sumitur proportio sicut mathematice, et haec est ratio quare etiam unus S. Thomas diversimode utatur hoc verbo "*proportio*" (2); proportio enim sumitur et *strictius* et *largius*: in primo casu designat habitudinem *duarum* quantitatum dimensivarum aut virtualium secundum *determinatum* excessum vel adaequationem; ubicumque ergo dantur *plures* termini quam duo, vel etiamsi non dentur nisi *duo* termini, excessus tamen vel dissimilitudo unius respectu alterius *non est determinatus,* hoc est, *mensurabilis et finitus,* non erit *strictius* loquendo proportio, et sic quandoque S. Thomas negat dari proportionem inter Deum et creaturam, defectu secundae conditionis (3); in altero vero casu attenditur ad *unum tantum ex duobus* illis elementis, et sic ubicumque dantur *duo* termini tantum, licet *in infinitum* distent, dicitur esse proportio, ut inter Deum et creaturam ipsemet S. Thomas aliquando admittit (4); et similiter ubicumque datur *determinata* distantia seu dissimilitudo inter terminos comparatos, licet sint *quatuor* vel *plures,* admittitur proportio, sicut inter substantiam et accidens connaturale et inter esse unius et esse alterius (5). Hac ergo posita distinctione, nullo negotio concordantur diversa loca S. Thomae, quae secus pugnare videntur.

tiones, § 4.º, nota, fol. 5, col. 1-2, 12.º notandum, fol. 8; GREGORIUS REISCH, *Margarita Philosophica,* lib. III, tract. I, cap. 18, sine numeratione fol., Basileae, 1517.

(1) *De Nominum Analogia,* cap. 3, pág. 255.

(2) Parumper aliter accipit hoc verbum B. ALBERTUS MAGNUS, cujus haec verba transcribere liceat: "*Proportio* est *similitudo habitudinum,* sicut si dicam: sicut se habet rector navis ad navem, ita rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet, quod uterque eorum non sorte, sed arte eligitur; et *in numeris*: sicut se habent duo ad quator, ita se habent tria ad sex, in hoc scilicet quod utrumque est duplum et subduplum.

Proportionalitas autem est *similitudo proportionum,* sicut si dicam: sicut est proportio inter duo et quatuor et tria et sex, similem habens qualitatem dupli, ita est proportio inter duo et tria et quatuor es sex similem habens qualitatem sexquialteri. Unde patet quod *similitudo* inter *duo* est, *proportio* inter *quatuor,* et *proportionalitas* inter *octo* et aliquando inter *decem,* si producatur proportionalitas, ut non tantum attendatur inter partes et partes, sed etiam inter constitutum totum ex primo et secundo et inter constitutum totum ex tertio et quarto, sicut si dicam quod similis est proportio et trium ad sex, et similis duorum ad tria et quatuor ad sex, et quod in eadem proportione est constitutum ex duobus et quatuor ad constitutum ex tribus et sex; novem enim ad sex in sexquialtera proportione est, sicut duo ad tria et quatuor ad sex" (*V Ethic.,* tract. II, cap. 5, Opera, edit. Vives, t. VII, pág. 345).

(3) V. gr. in *De Verit.,* q. 2, art. 3, ad 4; q. 11, C.; q. 3, art. 1, ad 7.

(4) Ex gr. in I, q. 12, art. 1, ad 44 *de Verit.,* q. 8, art. 1, ad 6; sed praesertim *circa utramque acceptionem* simul cfr. *De Verit.,* q. 23, art. 7, ad 9; *de Potent.,* q. 7, art. 10, ad 9; *in Boet. de Trinit.,* q. 1, art. 2, ad 3; *Suppl.,* q. 92, art. 1, ad 6.

(5) Cfr. *de Verit.,* loc. cit. Sed de hoc plura dicentur postea.

Manifestum est autem quod proportio non datur inter *omnino* aequalia nec inter OMNINO inaequalia, et pariter nec proportionalitas, quae ad proportionem sequitur; nemo enim dixerit quod ejusdem ad idem secundum omnino idem est comparatio nisi forte abusive (1), et similiter nec inter omnino diversa, quae idcirco *disparata* seu aequivoca nuncupantur. Unde *S. Thomas* post Aristotelem dicit: "Quaecumque non sunt aequivoca, videntur esse comparabilia; ita scilicet quod secundum ea quae non aequivoce praedicantur, possint ea de quibus praedicantur, ad invicem comparari. Sicut *acutum* aequivoce sumitur: uno enim modo dicitur in magnitudinibus, secundum quem modum angulus dicitur acutus et stylus acutus; alio modo dicitur in saporibus, secundum quem modum vinum dicitur acutum; tertio modo dicitur in vocibus, secumdum quem modum vox *ultima,* id est suprema in melodiis vel chorda in cythara dicitur acuta. Ideo ergo non potest fieri comparatio ut dicatur quid sit acutius, utrum stylus aut vinum aut vox ultima, quia acutum de eis aequivoce praedicatur; sed vox ultima potest comparari secundum acuitatem ei quae est juxta ipsam in ordine melodiae, propter hoc quod acutum non aequivoce, sed secundum eamdem rationem praedicatur de utraque (2)."

Sed neque inter omnino eadem in quantum sunt eadem; dicit enim infra: "Color dividitur in diversas species coloris: unde *non est comparabile secundum quod de eis praedicatur;* licet non dicatur aequivoce. et licet etiam habeat unum primum subjectum quod est superficies, quod est primum subjectum generis, non autem alicujus speciei coloris. Non enim possumus dicere quid sit magis coloratum, utrum album vel nigrum; *haec enim comparatio non esset secundum aliquam determinatam speciem coloris, sed secundum ipsum colorem communem*" (3) in quo omnino parificantur, quia tam color ut color est album sicut nigrum.

Et melius adhuc *B. Albertus Magnus*: "Est autem attendendum quod. licet species ex aequo participent suum genus et comparatio etiam fiat secundum aequale, tamen aequalitas hinc et inde est aequivoca; quia aequale, quo species participant genus, opponitur priori et posteriori secundum naturam; aequale autem, quod est in proportione comparationis, opponitur ei quod est magis et minus. Ex his ergo omnibus colligere potest aliquis de facili quod *tria* exiguntur ad comparationem, quae *verissime* (seu strictissime) comparatio est, scilicet quod id in quo est comparatio sit univocum, et accipiatur secundum esse proprium quod habet in per se et proprio susceptivo, et quod sit acceptum secundum indivi-

(1) Quemadmodum nonnulli dialectici abusi sunt in infinitum multiplicantes relationes rationis.

(2) *VII Physic.*, lect. 7, n. 7. Sicut linea et ambulatio, ut alibi docet (*V Physic.*, lect. 7, n. 2).

(3) Ibid., n. 12.

duam speciem ultimam; et haec est comparatio physicorum, quae, ut diximus, in esse proprio et naturali considerantur. Si autem *large* accipiatur comparatio, sufficit ad hoc quod fiat comparatio in hoc quod *quocumque modo unum* est in eis quae comparantur. Dico autem *quocumque modo;* quia, si sit univocum in eis, fiet comparatio per magis et minus et aequale, quae generatur ex intensione et remissione; si autem sit in eis unum *per analogiam,* quod non est pure univocum nec pure aequivocum, sic est in talibus comparatio *per magis et minus et numquam per aequale;* quia illa comparatio non generatur ex intensione et remissione, sed potius ex proportione ad unum quod per prius et posterius respicit ea; sicut ens se habet ad potentiam et ad actum et ad substantiam et accidens; et sic tribus modis fit comparatio. Et sic attendens Aristoteles in *Ethicis* dicit, quod qui crediderint aliqua non esse comparabilia, propter hoc quod non sunt univoca, non sufficienti crediderunt signo" (1).

Nec mirum; quia enim proportio importat comparationem quamdam, necesse est quod, sicut *large* seu analogice vel proportionaliter sumitur proportio, ita et *large* accipiatur comparatio, quae idcirco requirit semper quamdam aequalitatem et quamdam inaequalitatem seu, quod in idem redit, *similitudinem inaequalem vel aequalem dissimilitudinem;* et quia aequalia et inaequalia sunt *similia* in hoc quod aequalia vel inaequalia sunt, propterea dici potest quod ad proportionem et proportionalitatem requiritur *similitudo dissimilis vel dissimilis similitudo* (2); et sic finaliter apparet quod *analoga* seu proportionalia sunt *quaecumque se habent ad aliud sicut hoc ad illud,* et *analogia* est *ratio* illa *vi cujus ita se habet hoc ad hoc sicut illud ad illud et quodcumque ad quodcumque qualitercumque,* ut ipsemet Aristoteles concludit dicens: κατ' ἀναλογίαν δὲ ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο (3). Et iterum: λέγεται δὲ ἐνεργείᾳ οὐ πάντα ὁμοίως, ἀλλ' ἢ τῷ ἀνάλογον, ὡς τοῦτο ἐν τούτῳ ἢ πρὸς τοῦτο, τόδ' ἐν τῷδε ἢ πρὸς τόδε· τὰ μὲν γὰρ ὡς κίνησις πρὸς δύναμιν, τὰ δ' ὡς οὐσία πρός τινα ὕλην... (4).

Nec mireris, si metaphysicales processus ex analogia cum mathematicis sumantur; sunt enim haec nobis valde connaturalia et simul abstracta a sensibilibus et in contactu quasi immediato cum ipsamet abstractione metaphysica, utpote in secundo gradu abstractionis, secundum illud: supremum infimi attingit infimum supremi. Unde scite notavit Nicolaus Cusanus: "omnes autem investigantes, in comparatione praesuppositi certi, proportionaliter incertum judicant. *Comparativa igitur est omnis inquisitio, medio proportionis utens,* ut dum haec quae inquiruntur, propinqua proportionali re-

(1) *VII Physic.,* tract. II, cap. 2, edit. cit., t. III, p. 509-510.
(2) Ledesma, *De Divina perfectione, infinitate et magnitudine,* q. 5, § secundo notandum, p. 202, col. 2 a, edit. Neapoli, 1696. Cfr. *I Contra Gent.,* cap. 29; *Denzinger,* edit. 12.ª, n. 432.
(3) *IV Metaphysic.,* VI, 15 (II, 520, 34).
(4) *VIII Metaphysic.,* VI, 4 (II, 568, 12 sqs.).

ductione, praesupposito possint comparari, facile est apprehensionis judicium, dum multis mediis opus habemus, difficultas et labor exoritur." Et paulo post addit: "Proportio vero, cum *convenientiam in aliquo uno simul et alteritatem* dicat, absque numero intelligi nequit. Numerus ergo omnia proportionalia includit. *Non* est igitur numerus qui proportionem efficit *in quantitate tantum,* sed *in omnibus quae quovis modo substantialiter aut accidentaliter convenire possunt ac differre*" (1).

Et haec est ratio quare nonnulli metaphysici in mathematismum lapsi sunt, univoce seu eodem modo sumentes proportionem, quemadmodum apud antiquos videre est in Pythagora et Platone, et apud modernos in Cartesio, Spinoza, Leibnizio, Wolffio et Malebranchio, contra quos vehementer surrexit Kantius in sua *Critica Rationis Purae* (2). Non sic Metaphysicam intellexerunt Aristoteles et S. Thomas, qui et specialem articulum edidit ad probandum quod in divinis seu metaphysicalibus oportet imaginationem omnino relinquere (3), in quam tamen mathematica resolvit, ut ipsemet S. Doctor exponit (4). Sed de his alias.

Stat ergo quod *in omnibus rebus et in omnibus scientiis* dantur habitudines et comparationes, non tamen eodem omnino modo, sed modo simili; et consequenter, assurgendo, et abstrahendo a particularibus, relinquitur *notio universalissima proportionis similis vel similitudinis proportionalis,* et hoc est *analogia secundum rem.* Quod quidem Aristoteles iterum significavit his verbis praeclarissimis: τήν δὲ ὁμοιότητα σκεπτέον ἐπί τε τῶν ἐν ἑτέροις γένεσιν, ὡς ἕτερον πρὸς ἕτερόν τι, οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο, οἷον ὡς ἐπιστήμη πρὸς ἐπιστητόν, οὕτως αἴσθησις πρὸς αἰσθητόν· καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τινί, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλῳ, οἷον ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ, καὶ ὡς γαλήνη ἐν θαλάσσῃ. νηνεμία ἐν ἀέρι. Μάλιστα δ' ἐν τοῖς πολὺ διεστῶσι γυμνάζεσθαι δεῖ· ῥᾷον γαρ ἐπὶ τῶν λοιπῶν δυνησόμεθα τὰ ὅμοια συνρᾶν. (5)

§ II

Venatio definitiones analogiae secundum viam deductivam.

Ex his quae modo dicta sunt et ex communi hominum loquela apparet ea quae analoga audiunt plura esse, quia comparatio seu habitudo, sicut et relatio, est inter duo saltem. *Analogia* ergo, quae est *forma analogatorum in quantum hujusmodi, universalitatem* quamdam praesefert. Jam

(1) *De docta ignorantia*, lib. I, cap. 1, p. 2-3, edit. Rotta, Laterza, 1913.

(2) Fere per totum opus, et similiter in *Prolegomenis* et aliis opusculis praecriticis; sed modo systematico ostendit differentiam inter Mathematicam et Metaphysicam per totam sect. 1, cap. 1, partis 2.a operis, in qua fit sermo de *metodologia transcendentali*, Versio ital. Gentile-Radice, 1910, p. 539-555.

(3) *In Boetium de Trinitate*, q. 6, art. 2.

(4) *Ibid.*, id. Cfr. etiam *ibid.*, q. 5, art. 3; *VI Ethic.*, lect. 7; B. ALB. MAG. *in I Physic.*, tract. I, cap. 1, edit. cit., t. III, p. 2-4.

(5) *I Topicor.*, XV, 1-3 (I, 184, 31-39).

autem, universale ad inferiora descendere potest, *aut* secundum rationem *omnino eamdem, aut* secundum rationem ***non eamdem omnino,* sed** *diversam;* et tunc *iterum, aut* secundum rationem *omnino diversam, aut non omnino diversam,* sed *medio modo* inter omnino eamdem et omnino diversam. *In primo casu* habentur *univoca,* quae universalia presse sumpta dicuntur; *in altero, pure aequivoca,* quae casualiter et verbotenus tantum universalia sunt; *denique* illa, quae *medio modo* se habent inter univoca et pure aequivoca, ea ipsa sunt quae *analoga* dicuntur apud philosophos. Medium autem naturam utriusque extremi participare debet. et consequenter notio ejus ex notione extremorum est venanda. Extrema vero definiuntur ab Aristotele initio totuis Logicae his verbis: ὁμώνυμα λέγεται ὧν ονομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λὸγος τῆς οὐσίας ἕτερος, οἷονζῷν, ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον. Τούτον γὰρ ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσιας ἕτερος· ἂν γὰρ τις ἀπο διδῷ τί ἐστιν αὐτῶν ἑκατέρῳ τὸ ζῷῳ εἶναι, ἴδιον ἑκατέρον λόγον ἀποδώσει. Συνώνυμα δὲ λέγεται ὧν τὸ τε ὄνομα κοινόν καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός, οἷον ζῷον, ὅ τε ἄνθρωπος καὶ ὁ βοῦς. Ὁ γὰρ ἄνθρωπος καὶ ὁ βοῦς κοινῷ ὀνόματι προσαγορεύεται ζῷον, καὶ ὁ λόγος δὲ τῆς οὐσίας ὁ αὐτός· ἐὰν γὰρ ἀκοδιδῷ τις τὸν ἑκατέρου λόγον, τί ἐστιν αὐτῶν ἑκατέρῳ τὸ ζῷῳ εἶναι, τὸν αὐτὸν λόγον ἀποδώσει (1).

Ex quibus sponte fluit *analoga* ea dici quorum *nomen est idem, sed ratio significata per nomen est partim eadem et partim non eadem seu diversa.* Quod conceptis verbis ab Aristotele admittitur in I Physicorum, dum dicit prima principia ab antiquis philosophis admissa esse partim eadem et partim non eadem, ideoque eadem esse secundum analogiam (2). Apud Commentatores autem Stagiritae magis explicite proponuntur eorum definitiones, simul complendo notionem analogorum.

Audiatur *Alexander Aphrodisius*: "Dicens (Aristoteles) unum neque aequivoce neque univoce de quibus dicitur praedicari, sed ut quae *ab uno* et *ad unum* dicuntur, quae *media* sunt inter univoca et aequivoca. Nam *aequivoca nominis tantum societatem* habent; *univoca et nominis et rei;* quae vero *ab uno* et *ad unum* referuntur *neque eadem sunt atque univoca* (tunc enim non modo nomen, sed naturam etiam communem haberent), *neque eadem atque aequivoca,* tunc enim nomen tantum haberent commune. Ergo decem praedicamenta, de quibus unum praedicatur, neque univoca sunt inter se (alioquin eadem essent, nec substantia a quantitate differret, nec vicissim quantitas a substantia, neque caetera inter ipsa); neque rursus ens de ipsis aequivoce dicitur, quandoquidem entitate ac existentia participant, nec entis natura omnino carent, sed ea substantiae primum, deinde reliquis novem praedicamentis suppetit. Ergo qua ente participant et *qua sunt,* hac *differunt ab aequivocis; qua non sunt eadem atque substantia,* sed diversa, sine qua tamen neque esse neque substitui valent, hac *ab univocorum natura distant*" (3).

(1) *Categor.*, I, 1-2 (I, 1, 1-13).
(2) *I Physicor.*, V, 8-9 (II, 255, 10 sqs.).
(3) *Enarrationes Alexandri Aphrodisei* in *libros Aristoteles de Prima Philosophia,*

Et rursus: "Univoca sub genere quodam communi ponuntur omniaque pariter similiterque participant ea natura quae per genus quod dicitur significatur; aequivocis autem, praeter nomen quod de ipsis communiter dicitur, nihil est aliud inter ipsa commune; aequivoca enim sunt quorum solum nomen est commune, ratio vero substantiae diversa; quae vero ab uno et in unum dicuntur, neque eam paritatem inter ipsa servant quam univoca ad id quod praedicatur, neque rursus puram aequivocationem immistamque diversitatem habent, sed ipsis communitas quaedam suppetit, quatenus ea sunt quae dicuntur, quoniam illius rei una est natura et haec in omnibus quodammodo videtur, a quo existentiam vel in quod rationem quamdam habent, quo fit ut ipsius nomine participent. Sed hujusmodi naturam *aliquo quidem in loco communius sub aequivocis statuit;* hic autem accuratius partiendo ab aequivocis discrepare ait ac discrimen exponit. Neque enim talis nominis solum societatem obtinent neque inter se habent ut quae proprie aequivoca intelliguntur, quibus nominis communitas *fortuito contingit;* sed *causam quamdam habent cur eodem vocabulo nominentur.* Sana enim ac iterum medica per naturam quamdam sic, inquit, appellantur, quoniam sana dicuntur, quod ad sanitatem aliquo modo se habent. Hoc enim dicitur sanum, quia sanitatem conservat, ut modicus cibus, ut exercitationes deambulationesque; illud vero quia sanitatem affert, ut medicamentum et omnia remedia; aliud quod sanitatis est signum, ut probus color commodaque spiratio; aliud denique, quoniam sanitatis est excipiens, ut corpus recte valere aptum; quare, si quid sanum appelletur, quod nihil ad sanitatem pertineat, id aequivoce ad caetera sana dicetur" (1).

Et similiter loquuntur *Porphyrius* (2), *Simplicius* (3), *Averroes* (4) aliique; sed omnes longe superat *Angelicus Magister* haec scribens: "manifestum est enim quod, quae *sic* (nempe analogice) dicuntur, *media* sunt inter univoca et aequivoca. *In univocis* enim *nomen unum* praedicatur de diversis *secundum rationem totaliter eamdem,* sicut animal de equo e bove dictum significat substantiam animatam sensibilem; *in aequivocis* vero *idem nomen* praedicatur de diversis *secundum rationem totaliter diversam,* sicut patet de hoc nomine canis, prout dicitur de stella et quadam specie animalis; in his vero quae praedicto modo (scil. *analogice*) dicuntur, *idem nomen* de diversis praedicatur *secundum rationem partim eamdem et partim diversam*" (5).

Et iterum: "Sciendum, inquit, quod aliquid praedicatur de diversis multipliciter: *a*) *quandoque* quidem secundum *rationem omnino eamdem,* et

interprete Joanne Genesio de Sepulveda Cordubensi, Parisiis, 1586; *in XI Metaph.*, p. 349.

(1) *Op. cit. in IV Metaph.*, p. 107-108.

(2) *In Aristotelis Praedicamenta per interrogat. et respons. brevis explicatio,* fol 2, Venetiis apud Hieronym. Scotum, 1546.

(3) Simplici *philosophi profundissimi* in *Aristotelis Stagiritae Praedicamenta lucutentissima expositio,* fol. 5, col. 3, fol. 6, col. 1. Venetiis, apud heredes Oct. Scoti, 1516.

(4) *In IV Metaphysic.*, cap. 2. Opera, Venetiis, 1560, t. VIII, fol. 90. Cfr. etiam ibid. *Epit.*, fol. 371 et vers. hisp. sub titulo: Averroes, *Compendio de Metafisica, texto árabe con traducción y notas de Carlos Quirós Rodríguez,* lib. II, p. 57 sqs. Madrid, 1919.

(5) *XI Metaphysic.*, lect. 3, n. 2197.

tunc dicitur de eis *univoce* praedicari, sicut animal de equo et bove; β) *quandoque* vero secundum *rationes omnino diversas,* et tunc dicitur de eis *aequivoce* praedicari, sicut canis de sidere et animali; γ) *quandoque* vero secundum *rationes* quae *partim sunt diversae* et *partim non diversae*: diversae quidem secundum quod diversas habitudines important; unae autem secundum quod ad unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur, et illud dicitur analogice praedicari, id est proportionaliter, prout unumquodque secundum suam habitudinem ad illud unum refertur" (1).

Et rursus: "*Aliquid* dici *de multis* secundum *diversas rationes* contingit *dupliciter*: *uno modo* secundum *rationes omnino diversas,* non habentes respectum ad unum, et ista dicuntur *aequivoca a casu,* quia scilicet casu accidit quod unum nomen unus homo imposuit uni rei et alius alii rei, ut praecipue patet de diversis hominibus uno nomine nominatis; *alio modo* unum nomen dicitur de multis *secundum rationes diversas, non tamen totaliter,* sed in aliquo uno convenientes" (2) et ista dicuntur aequivoca a consilio seu analoga.

Inter posteriores vero scholasticos, nullus tam clare exposuit Aristotelem et S. Thomam sicut *Cajetanus,* cujus haec sunt verba: "Ut clarius pateat, figuraliter declaratur sic: tam in aequivocis quam univocis et analogatis *quatuor* inveniuntur, scilicet *duae res ad minus* aequivocatae, univocatae aut analogatae; et *duae* res seu *rerum rationes* aequivocationem, univocationem aut analogiam *fundantes.* Verbi gratia, in aequivocatione canis inveniuntur haec quatuor: canis marinus et canis terrestris et ratio illius et ratio istius secundum nomen canis. In univocatione quoque animalis inveniuntur quatuor, scilicet homo et bos, et natura sensitiva hominis et natura sensitiva bovis, quae animalis univocationem fundant. In analogia similiter entis quatuor sunt, scilicet substantia et quantitas, et substantia in quantum commensurata suo esse et quantitas secundum quod suo esse proportionatur. Et *licet prima duo,* scilicet aequivocata et univocata et analogata *eodem modo* quantum ad propositum spectat in omnibus his distinguantur, quia ubilibet ex opposito condistincta sunt; *altera tamen duo* aequivocationem, univocationem et analogiam *fundantia diversimode unita aut distincta sunt. In aequivocis* namque *rationes illae* puta canis marini et terrestris sunt *omnino diversae secundum rationem,* et propter hoc id quod praedicat canis de marino cane *nullo modo* praedicat de terrestri et e converso, et ideo *sola voce* communius aut majus aequivocatis dicitur et est. *In univocis* vero res illae, puta animalitas in bove et animalitas in leone, licet numero et specie diversae sint, *ratione tamen omnimo eaedem sunt;* ratio enim unius est *omnino eadem* quod ratio alterius et e converso, et propter hoc id quod praedicat animal de homine, *idem omnino* praedicat de bove, et univocum dicitur et superius homine et bove. *In analogis autem* res analogiam fundantes, puta quantitas *ut sic se habens*

(1) *IV Metaph.*, lect. 1, n. 535.
(2) *I Ethic.*, lect. 7. Pariter et in I, q. 13, art. 5, dicit: "Iste modus communitatis *medius* est inter puram aequivocationem et simplicem univocationem. *Neque* enim in iis, quae analogice dicuntur, est *una ratio,* sicut est in univocis, *nec totaliter diversa,* sicut in aequivocis; sed nomen quod sic multipliciter dicitur, significat *diversas proportiones*". Cfr. etiam ibid., art. 10, initio.

ad esse et substantia *ut sic se habens ad esse, licet diversae sint* et numero et specie et genere, *ratione tamen eaedem sunt non omnio,* sed *proportionaliter,* quoniam *unius ratio proportionaliter eadem est alteri.* Et propter hoc id quod praedicat analogum, puta de quantitate, *illudmet proportionaliter* praedicat de substantia et e converso; est enim illudmet proportionaliter id quod in substantia ponit et e converso, et propter hoc analogum, puta ens, non sola voce communius, majus aut superius analogatis est, sed conceptu, ut dictum est, proportionaliter uno" (1).

Verum haec notio adhuc quasi nominalis est, et determinandum superest qualiter *secundum rem* accipi debeant verba illa: *partim eadem et partim diversa;* quod problema S. Thomas, quod ego sciam, expresse non solvit; haud difficulter tamen solvi potest. Quia enim *analoga,* ut dictum est, *participant utrumque extremum* scilicet univocationis et aequivocationis purae, *dupliciter* intelligi potest participatio haec; *aut aequaliter* seu ex aequo, *aut inaequaliter;* et *iterum utroque modo,* aut *simpliciter,* aut *secundum quid.*

A. Manifestum est autem quod extrema illa participari *non* possunt *ex aequo;* nam,

α) si intellegeretur *simpliciter* fieri, tunc analoga definerentur: ***ea quorum** nomen est idem, sed ratio significata per nomen est **simpliciter** eadem et simpliciter diversa.* Quae definitio *absurda est,*

a) tum *absolute* vel *secundum se,* quia univoca et pure aequivoca sunt ***contraria,*** et hujusmodi ab eodem subjecto et consequenter *ab eadem definitione se mutuo expellunt;*

b) tum etiam *relative aut secundum applicationem ad ipsa analogata;* nam in definitione vulgari nuper inducta et in fine venationis per viam ascendentem apparuit participatio extremorum secundum partem; dicitur enim: partim eadem et partim diversa; ergo non simpliciter ex utraque parte, quia *secus esset de facto omnino eadem et omnino diversa.* Ut praeteream quod talis explicatio esset glossa textum destruens; textus autem est illud datum: partim eadem et partim diversa (2).

β) *Nec minori absurditate laboraret definitio,* si participatio intelligatur *secundum quid;* in hac enim hypothesi, analogorum esset hujusmodi definitio: *ea quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est secundum quid eadem et secundum quid diversa.* Haec namque definitio iterum falsa deprehenditur duplici de causa:

a) *absolute,* quia fit per accidens vel secundum quid, cum tamen ex legibus definitionis constet definitionem fieri debere per se;

(1) *De Nominum Analogia,* cap. 6, p. 265-266; Cfr. ibid., cap. 4, p. 257-258.

(2) Re vera hoc duplici modo potest falsitas *accidere* definitionibus, ut suo loco probaturi sumus: interim confr. S. THOM., *de Verit.,* q. I, art. 3 et 12; I, q. 17, art. 3; *I Sent. dist.* 19, q. 5, art. 1 ad 7.

b) et *relative* seu *secundum applicationem ad definitum,* quia *non explicat terminos definiendos,* cum tam obscurum sit dicere: ratio partim eadem et partim diversa, et: ratio secundum quid eadem et secundum quid diversa; definitio autem, ut Logica praecipit, debet esse clarior definito.

B. Admittendum est ergo *secundum membrum disjunctionis,* quod scilicet analoga participent extrema illa *inaequaliter* seu quod plus accedant ad unum extremum quam ad alterum. Hoc autem supposito, *duplex casus fingi potest*: *aut* quod *plus* participent *univocitatem* et minus aequivocitatem, et tunc analoga definerentur: *ea quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est simpliciter eadem et secundum quid diversa; aut* quod e converso *plus* participent *aequivocitatem* et minus univocitatem, quo in casu definerentur: *ea quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem.*

α) Atqui *prima hypothesis* (1) *admitti nullatenus potest,* utpote quae, semel inducta, *impossibilis* redderetur et *univocitas* et *analogia* ipsa.

a) *Univocitas* quidem, quia univoca dari non possunt nisi *in creatis,* in quibus impossibile est non dari aliqua diversitas saltem accidentalis; saltem enim esse unius et individuatio ejus non sunt idem ac esse et individuatio alterius, et consequenter, vel habetur monismus pantheisticus per identitatem absolutam et universalem, vel univocitas absoluta non est possibilis (2).

b) *Analogia* vero, quia absorberetur in univocitate vel confunderetur cum illa, quippe quod omnibus univocis, secundum quod de facto accipiuntur a philosophis, conveniret definitio illa, et sic non esset amplius *media* inter univocationem et aequivocationem puram, cum tamen haec ratio medii sit de essentia analogiae. Et insuper, quia tunc impossibilis evaderet comparatio plurium, cum non essent possibilia; sine comparatione autem ne mente quidem concipi potest analogia, ut ex dictis in prima via constat.

β) *Relinquitur ergo ut unice vera,* per locum a sufficienti divisione, *alia hypothesis;* quae iterum *positive* confirmari potest tum *ex ratione,* tum *ex auctoritate* philosophorum.

a) *Ratione* quidem, quia planum est analogiam significare diversitatem

(1) Quidam, etiam recentissime, adscribunt hanc sententiam Scotistis et Suarezianis, apud quos tamen ego sane nullibi reperire potui. Forte non est aliena a principiis Suarezii, sed locus qui ex eo citatur (*Dispp. Metaph.*, disp. 2, sect. 2, n. 34) ne verbum quidem de hoc habet. Notandum etiam quod LOSSADA, qui suarezianum cursum philosophicum edidit, aperte fatetur analoga esse simpliciter diversa et secundum quid eadem (*Instit. Dialect.*, vulgo *Summulae, tract. IV de Praedic.*, disp. unic., cap. 1, p. 417. Salmanticae, 1721).

(2) "Si enim in Petro, ait S. Thomas, *non differret homo et hominem esse,* impossibile esset quod homo *univoce* diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum" (*De Verit.*, q. 2, art. 11).

quamdam, si comparetur cum univocis. Atqui *vel minima declinatio ab unitate essentiali univocorum facit diversitatem simpliciter,* sicut minima additio vel subtractio notarum essentialium facit diversam speciem simpliciter. Ergo ratio significata per nomen analogum est simpliciter diversa. Unde lepide Cajetanus dicit quod ad univocitatem requiritur omnimoda identitas rationis, sed ad analogiam sufficit qualiscumque diversitas, sicut "ad pulchritudinem hominis requiritur quod *omnia* membra consonent, ad turpitudinem vero sufficit *unius* membri, puta oculorum, deformitas" (1).

b) *Auctoritate* vero philosophorum; quia exemplum aequivocorum ad Aristotele adductum, scilicet homo vivus et homo pictus, est exemplum *analogiae;* "quoniam homo verus et homo pictus modo non pure aequivoco dicuntur animal, sed *aequivocatione a consilio seu analogice* (2), ut patet ex rationibus eorum secundum illud nomen, quia *non* sunt *penitus diversae,* sed *aliquo modo eaedem;* quaerenti enim: *quid* est *homo secundum quod animal?* respondetur quod est *substantia animata sensibilis;* quaerenti autem: quid est *homo-pictus secundum quod animal?* respondetur quod est *imago substantiae animatae sensibilis;* ubi expresse apparet rationes *non* esse *penitus,* sed *aliquo modo diversas* (simpliciter tamen)" (3).

Quam interpretationem admittunt communiter peripatetici, ut videre est in Porphyrio (4), in Simplicio (5) et praecipue in S. Thoma, cujus haec verba transcribimus: "Animal dictum de animali vero et picto *non*

(1) *In Praedicamenta Aristotelis,* cap. 1, fol. 15, col. 2. Venetiis, 1554. Quod etiam invenitur apud S. Thomam dum scribit: "Ad hoc autem quod aliquid sit bonum simpliciter, requiritur quod sit totaliter perfectum, sicut ad hoc quod aliquid sit pulchrum simpliciter requiritur quod in nulla parte sit aliqua deformitas vel turpitudo" (*Qq. dispp. de Virtut.*, art. 9 ad 16).

(2) Nonnulli scholastici voluerunt distinguere inter aequivocationem a consilio et analogiam, ut v. gr. Dom. Soto, Toletus (*In lib. Categor. Arist.*, q. 1 in cap. 1, fol. 45, col. 1. Venetiis, 1590), Mas (*Comment. in Porphyr. et in Universam Aristot. Dialecticam, una cum quaestionibus quae a gravissimis viris agitari solent-Scholia in antecategorias,* in cap. 1 de homonymis, p. 510. Valentiae, 1592). Sufficiat audire verba Dom. Soto: "Non aequipollent aequivoca a consilio et analoga; nam, quamvis Aristoteles analoga distinguat ab aequivocis a casu, id solum insinuat quod omnia analoga sunt aequivoca a consilio, non tamen convertitur; sunt enim quaedam aequivoca a consilio, quae non sunt analoga, ut si pater *propter memoriam* sui appellet filium nomine patris sui, quemadmodum cognati Joannis volebant eum appellare nomine patris sui Zachariam, et Aristoteles nomine patris sui nuncupavit filium Nichomacum, ad quem librum Ethicorum scripsit, et si quos *propter spem* ad conciliandam gratiam Imperatoris nomine ejus appellaret filium Carolum; haec quidem nomina *consilio* imposita sunt, tamen non sunt analoga, quia non significant res propter proportionem et similitudinem" (*In Dialect. Aristotelis Comment.* Salmanticae, editio postrema, 1580. *Lib. praedicament.*, cap. 1, fol. 53, corol. 1). Non est tamen omnino necessarium urgere distinctionem istam, quia hic sumitur consilium *objective* pro fundamento in re.

(3) *In Praedicament. Aristotelis,* fol. 15, col. 1. Cfr. etiam ejus *Comment.* in I, q. 13, art. 5, n. 12.

(4) *Loc. cit.*

(5) *Loc. cit.*

dicitur pure aequivoce; sed Philosophus (Aristoteles) *largo modo* accipit aequivoca, secundum quod *includunt in se analoga;* quia et ens, quod analogice dicitur, aliquando dicitur aequivoce praedicari de diversis praedicamentis (1)." Quod si pictura animalis *non* sumatur *formaliter ut* est *imago* ejus, sed *materialiter, ut est res* vel *natura quaedam,* tunc dicitur *pure aequivoce,* ut etiam ipsemet S. Doctor dicit, scribens: "Hoc nomen animal imponitur, *non* ad significandum *figuram exteriorem,* in qua pictura imitatur animal verum, *sed* ad significandum *naturam* (ut sic) in qua pictura non imitatur" (2) nec imitari potest; quia natura ut sic est immaterialis et ideo depingi non potest.

A posterioribus autem scholasticis, cujuscumque generis sint, haec ipsa explicatio conceptis verbis admittitur. Audiamus nonnullos. *Javelli,* O. P., scribit: "Quod autem *analogum declinet ad aequivocum* patet ex eo quod univocum dicit unam rationem tantum et *aequaliter* participatam a suis univocatis; aequivocum autem dicit plures rationes omnino diversas convenientes suis aequivocatis *absque ordine...;* analogum autem, ut *medium magis declinaus ad aequivocum,* dicit plures rationes, in ordine tamen ad primum analogatum (3)." Et melius adhuc *Jacobus Brunus a Scigliano,* O. P.: "Analoga dicuntur illa quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen est secundum quid eadem et simpliciter diversa in illis. *Ratio* est, quia analoga *magis accedunt ad aequivoca,* quae sunt simpliciter diversa quam ad univoca, quae sunt simpliciter eadem; et consequenter *ab aequivocis participant diversitatem simpliciter, ab univocis convenientiam secundum quid* (4)."

Similia dicunt *Conimbricenses,* S. J., his verbis: "Consilio aequivoca seu analoga idem quoque nomen habent et rationem aliquo modo eamdem, *simpliciter tamen diversam,* ut homo verus et depictus; uterque enim formam hominis participat, tametsi unus veram et essentialem, alius adumbratam, quod est in causa ut hae rationes hominis sint absolute diversae. Hinc etiam est ut analoga merito conseantur *media* inter casu aequivoca et univoca,

(1) I, q. 13, art. 10, ad 4. Unde et idem S. Doctor pluries pro eodem sumit aequivocum et analogum sicut etiam Aristoteles fecit. Sic v. gr. dicit quod "fieri et facere *aequivoce* dicuntur in hac universali rerum productione (creatione) et in aliis productionibus" (*VIII Physic.,* lect. 2, n. 4 et 5), et tamen alibi (I, q. 55, art. 1), admittit analogiam, haec scribens: "*Sicut* igitur generatio hominis est ex non ente (*hoc*) quod est non homo, *ita* creatio, quae est emanatio *totius* esse, est ex non ente (*simpliciter*), quod est nihil". Secus non posset creatio naturaliter cognosci. Et similiter quando dicit quod "Angelus *aequivoce* dicitur esse in loco et corpus" (I, q. 52, art. 1), et quod "credere *aequivoce* dicitur de hominibus fidelibus et daemonibus" (*De Verit.,* q. 14, art. 9, ad 4), et quod dona Spiritus Sancti et virtutes *aequivoce* conveniunt (*III Sent.,* dist. 34, q. 1, art. 1 ad 3).

(2) *De Verit.,* q. 2, art. 11 ad 8. Cfr. S. BONAVENT, in *I Sent.,* dist. 14, art. 1, q. 2 ad 3: edit. Vives, t. I, p. 237 a.

(3) *Epit. Log.,* tract. V, part. II, cap. 1, p. 53a. Lugduni, 1568.

(4) *Summa Philosophicae disciplinae, tert. part. seu Metaph.,* q. IV, art. 1, p. 107. Messanae, 1667. Cfr. etiam DOM SOTO (*op. cit. de aequivocis, univocis et denominativis,* cap. 1, q. unic., fol. 52, col. 2, ad 5).

siquidem vendicant rationem quodammodo unam ut univoca, *simpliciter tamen diversam*, quemadmodum aequivoca, *cum quibus proinde majorem habent necessitudinem* (1)." Et eadem inveniuntur apud *Rubio*, S. J. (2).

Quibus accedit Card. de *Aguirre*, O. S. B. haec scribens: "Analoga autem sunt velut *medium* quoddam inter univoca et pure aequivoca, quoniam participant ab utroque extremo: ab univocis quidem quod importent veram aliquam convenientiam in re significata per nomen, ab aequivocis autem quod importent *diversitatem simpliciter* adhuc in illo ipso praedicato seu re per nomen significata (3)."

Denique, ne plura consecter, *Collegium Rupense*, M. D., ait "analoga esse *media* inter univoca et pure aequivoca, quia nec sunt simpliciter eadem sicut univoca nec simpliciter diversa sicut aequivoca, sed ex utroque extremo participant, *non quidem simpliciter et ex acquo*, quia *magis ad diversitatem* quam ad unitatem accedunt, ita ut *ex univocis unitatem aliqualem et secundum quid, et ex aequivocis diversitatem participent*" (4).

Stat ergo veritas peripatetica definitionis analogorum: *ea quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem.*

* * *

Indulgeat lector, si tam late venationem istam prosequuti simus; quia enim definitio est principium demonstrationis, oportet cauti esse in definitionibus admittendis, et haec est ratio quare non semel Aristoteles docuit plus laboris requiri, utpote difficilius, bonam invenire definitionem, quam ex inventa proprias passiones demonstrare.

Si tamen ob oculos habere velis totum processum viae deductivae, en ejus schema:

(1) *Comment. Collegii Conimbricensis in Universam Dialecticam Aristotelis Stagiritae*, p. 232. Conimbricae, 1607.

(2) *Comment. in Universam Aristotelis Dialecticam una cum quaestionibus ac dubiis hac tempestate agitari solitis*, fol. 79 rect. Valentiae, 1606.

(3) *Philosophia Rationalis Nov-antiqua sive dipp. selectae in Logicam et Metaph. Aristotelis*, disp. 26, sect. 2, n. 13, p. 342, col. 2. Salmanticae, 1675.

(4) *Cursus Philosoph. juxta miram doctrinam et scholam Angelici Doct. D. Thomae Aq.*, t. I, lib. 8, dub. 3, n. 2, p. 430, col. 2. Matriti, 1716. Unde merito SUÁREZ ait: "dicendum est ab antiquis auctoribus *analoga sub aequivocis* comprehendi" (*Dispp. Metaph.*, disp. 32, sect. 2, n. 1, edit. Vives, t. XXVI, p. 320).

Idem nomen dici potest de pluribus AUT **secundum *rationem***

- I) ***omnino eamdem,*** μοναχῶς = UNIVOCUM.
- II) ***non omnino eamdem,* sed *diversam,*** πολλαχῶς = **AEQUIVOCUM, et tunc VEL**
  - A) *omnino diversam* = aequivocum PURUM seu A CASU, ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης.
  - B) ***non omnino diversam*** = aequivocum MIXTUM cum univoco, seu A CONSILIO, ὁμώνυμον ἀπὸ διανοίας, vel ANALOGUM, quod ***medium*** est inter univocum et pure aequivocum; ergo *participat simul utrumque extremum.* AUT igitur
    - α) *aequaliter* seu *ex aequo,* et sic VEL.
      - a) *simpliciter,* et tunc *ratio* significata per nomen analogum esset *simpliciter eadem et simpliciter diversa;* sed *hoc **non,*** quia
        - 1) contraria excluduntur ab eadem *definitione.*
        - 2) contradicit *definito* per viam inductivam.
      - b) *secundum quid,* et tunc *ratio* significata per nomen analogum esset *secundum quid eadem et secundum quid diversam;* sed *neque hoc,* quia
        - 1) esset *definitio* per accidens.
        - 2) non esset clarior *definito.*
    - β') *inaequaliter* seu *non ex aequo,* et tunc VEL
      - a) *magis accedit seu participat univocitatem,* et sic *ratio* significata per nomen analogum esset *simpliciter eadem et secundum quid diversa;* sed *hoc non,* quia.
        - 1) tolleretur *univocitas* a rebus.
        - 2) tolleretur et *analogia* ipsa.
      - b) ***magis accedit seu participat aequivocitatem,*** et sic *ratio* significata per nomen analogum esset *simpliciter diversa et secundum quid eadem;* et hoc est UNICE VERUM, quod *probatur*
        - 1) *negative,* per locum *a sufficienti divisione.*
        - 2) ***positive,*** per ***rationem*** et *auctoritatem.*

Cfr. *I Ethic. Nic.* VI, 12 (II, 5, 13-14); *I Physic.,* III, 11 et 15 (II, 249, 51 sqs., 250, 25 sqs.).

Adhuc comprobari posset venatio haec per comparationem utriusque processus, ut sic melius appareret identitas termini utriusque viae; at supersedemus, ne longius protrahatur articulus iste. Caeterum ipsemet lector, ex elementis datis, facillime poterit per se facere, conferendo simul quae habet S. Thomas (1) et praesertim Cajetanus (2); ibi enim videbis quod, *per idem ad diversa consideratum,* analogia dicit similitudinem et dissimilitudinem, quia, ut docent peripatetici, *per idem unumquodque est hoc et a caeteris distinguitur,* et *eadem est differentia divisiva generis et constitutiva speciei.*

FR. JACOBUS M.ª RAMÍREZ, O. P.

Salmanticae, in festo Resurrectionis D. N. J. C., die 27 Martii 1921.

(1) *De ente et essentia,* cap. 7, edit. *de Maria,* p. 102; *Opusc. I de Universalibus,* edit. *de Maria,* t. I, pp. 511 et 516.
(2) *De Nominum analogia,* cap. 4, edit. cit., pp. 257-258.

DE ANALOGIA SECUNDUM DOCTRINAM ARISTOTELICO-THOMISTICAM

§ I

DIVISIO ANALOGIAE

Quamvis Aristoteles multa et profunda scripserit de Analogia *in actu exercito,* scilicet de analogis seu analogatis, de Analogia tamen ipsa *in actu signato* specialem tractatum non edidit, sed notiones et divisiones nonnullas prout se offerebat occassio pluribus in locis sparsit; et inde labor non minimus interpretum et discipulorum ejus ut ex illis insimul collectis theoriam generalem de Analogia traderent ad mentem Philosophi.

Qua quidem in re progressus paulatim factus est inter peripateticos, sed omnes tam priores quam posteriores longe superat S. Thomas, ut ex dicendis erit manifestum.

*
* *

Ex supra dictis in prima parte scimus quid senserit Aristoteles de notione analogiae; superest igitur ut, quae de divisione ejus tradidit, referamus. Agnoscit ergo *expresse* Philosophus, praeter analogiam *prope genus,* παρὰ γένος (1) —quae postmodum a S. Thoma dicta est *secundum esse tantum* (2), a Cajetano analogia *inaequalitatis* (3) et a posterioribus scholasticis analogia *physica* (4)— analogiam *aliam* quae fit *secundum*

---

(1) VII *Physic.,* IV, 11 (II, 340, 18) et alibi passim tam in Logica quam in Metaphysica.

(2) I *Sent.,* dist. 19, q. 5, art. 2, ad 1; X *Metaph.,* lect. 12, n. 2142 et 2145.

(3) *De Nominum analogia,* cap. 1, p. 249-250, et similiter CONIMBRICENSES, *Inst. Dialect.,* loc. cit., p. 233.

(4) Ita v. gr., JOANNES MARTÍNEZ DE PRADO, *Quaest. Logicae in tres libros distributae,* lib. II, q. 3, § I, n. 270, Compluti, 1649; FROYLANUS DÍAZ, *Logica Rationalis per quaestiones et articulos divisa juxta mentem D. Thomae,* lib. VI, q. 2, art. 1, § 1, p. 441, Vallisoleti, 1697, et alii posteriores.

proportionalitatem, ὡς ἕτερον πρὸς ἕτερόν τι, οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο.., καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τινί, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλῳ (1), et *aliam* quae fit AB *uno* ἀφ' ἑνός (2) et AD ***unum,*** πρὸς ἕν vel καθ' ἕν (3), et finaliter analogiam secundum ***metaphoram,*** κατὰ μεταφορὰν (4), et *secundum similitudinem,* καθ' ὁμοιότητα (5).

* * *

Nunc autem videamus aliquas expositiones peripateticorum. *Clemens Alexandrinus* scribit:

"*Homonyma* autem sunt quae utuntur eodem nomine, non habent autem eamdem rationem, ut homo qui est et animal et homo pictus. *Ex homonymis* autem *alia* quidem habent idem nomen *ex fortuna,* ut Ajax Locrius et Ajax Salaminus, *alia* autem *ex cogitatione.* Et *ex his* quidem *alia per similitudinem,* ut homo et qui est animal et qui pictus; *alia* autem *secundum proportionem* et *convenientiam,* ut pes Idae (montis) et nostri pedes, propterea quod sint inferius; *alia* autem *ex operatione,* ut pes navis per quem navis navigat et pes noster per quem movemur. Dicuntur *etiam* homonyma AB *eodem* et AD *idem,* ut *a* medico liber et scalpellum medica et *a* medico qui utitur et *ad* rationem medicam (6)."

Accedit *Porphyrius.* Duplex est, inquit, *aequivocorum* modus:

"alter *a fortuna,* alter *a cogitatione* nostra est. Qui vero est *a cogitatione* nostra *in plura* dividitur: in aequivocum *a similitudine, a proportione,* AB *uno* et AD *unum,* qui quidem aequivocorum modi omnes sunt.

"—*Interr.* Sed quodnam est aequivocum *a fortuna?*

"—*Resp.* Illud est cum fortè et sine ulla animadversione sineque ullo nostro consilio res diversae *idem nomen* consequuntur, verbi causa *Alexander* Priami et *Alexander* Philippi filius, qui Macedonum dux fuit. Haec quidem *a fortuna* esse aequivoca dicuntur. *Reliqui omnes* modi *a cogitatione* nostra dependent. Nam cum animal rationale mortale *hominem* appellem et *imaginem hominis* intuitus hominem esse dicam, perspicuum sane est me *picturam* eam *non* appellare hominem *sorte quadam,* sed propterea quod viventis hominis *similitudinem* praesefert. *A cogitatione* igitur nostra est quod et hominem viventem et *statuam* aut *imaginem* hominis *hominem* vocamus.

"*Item* cum unitatem *principium* numeri, punctum *principium* lineae, fontem

---

(1) I *Topic.*, XV, 1-2 (I, 184, 32-34), XVI, 12 (I, 185, 48-49); cfr. II, *Post.*, XIV, 8 (I, 169, 25), ibid., XIII, 3 (I, 167, 48); I *Ethic. Nic.*, VI, 12 (II. 5, 15-17); IV *Metaph.*, VI, 15 (II, 250, 34); XI, IV, 5-6 (II, 602, 27, 35-37).

(2) I *Ethic. Nic.*, VI, 12 (II, 5, 14).

(3) I *Ethic. Nic.*, VI, 12 (II, 5, 15); III *Metaph.*, II, 1 (II, 500, 14); ibid., 3 34; VIII *Metaph.*, I, 3 (II, 564, 21).

(4) IV *Metaph.*, XII, 9 (II, 525, 13-14); III *Rhetor.*, II, 9 (I, 387, 28) ubi haec habet: δεῖ δὲ καὶ τὰ ἐπίθετα καὶ τὰς μεταφορὰς ἁρμόττουσας λέγειν· τοῦτο δ' ἔσται ἐκ τοῦ ἀνάλογον· εἰ δὲ μή, ἀπρεπὲς φανεῖται διὰ τὸ παράλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεσθαι.

(5) VII *Physic.*, IV, 11 (II, 340, 20); VIII *Metaphysic.*, I, 3 (II, 564, 18).

(6) *Stromat.*, lib. VIII, cap. 8, *Biblioth. Patrum,* edit. Lugduni, 1677, t. III, p. 217, col. 1 a B.

principium fluviorum, cor animalis *principium* appellamus, *principii* nomen *consilio* nostro *ex proportione* omnibus his aequivocis commune accommodatur. Quam enim rationem ad numeros unitas habet, eamdem et ad lineas punctum et ad fluvios fons et ad animalia cor habere conspicitur. Hujusmodi autem demonstrationis ratio *ex proportione apud geometras* appellatur, atque idcirco principii et originis nomen inter aequivoca *ex proportione* sumptum est.

"*Tertius modus* aequivocorum *a cogitatione* nostra est cum AB *uno* quodam communis diversis rebus appellatio existit, ut, cum una sit medicina, AB *ea* et librum et medicamentum et scalpellum *medicum* appellare consuevimus, sed *diversa* tamen *ratione*. Nam *librum medicum* vocamus, quia *medicas disciplinas* continet; *scalpellum* vero medicum, eo quod *instrumentum* est ad incisiones ex medica arte adhibendas accommodatum; *medicamentum* autem quia *utile medico* est ad sanitatem inducendam. In quibus quidem nomen commune cum sit, ratio juxta nomen quo communiter singula appellantur *diversa* est. AB *una* igitur *medicina* omnia haec medica communi nomine sunt vocata, quod quidem *non ex fortuna* accidit, sed *ex cogitatione* et *consilio* eorum qui haec primum ita nominarunt.

"*Quartus* a *cogitatione* nostra *modus* est cum diversa AD *unum* finem tendentia ab eo communem appellationem sortiuntur; verbi causa, a sanitate, quam *finem* sibi proponit ille qui sanatur, et cibus et deambulatio et lectio sana seu salubris nuncupatur.

"At hunc modum aequivocorum *alii* cum superiori, qui *ab uno* dicitur, conjungunt, atque ex duobus unum efficientes, unum aequivocorum tantum genus constituunt, quae *ab uno et ad unum* vocentur; *alii* neque inter aequivoca neque inter univoca haec connumerant, sed *in medio utrorumque* statuenda censent, eo quod, diversae res cum sint, *vel* ejusdem rationis *participatione* medicae communi nomine appellentur, *vel* ejusdem sanitatis *acquisitione* communiter vocentur salubres.

"—*Interr.* Aristoteles vero, quonam aequivocorum modo usus est (in Antepraedicamentis)?

"—*Resp.* Eo qui *a similitudine* sumitur, cum dicat: animal et homo et quod pictum est quid sit utrumque in eo quod est animal, *propriam utriusque rationem assignabit;* nam si nomini convenientem rationem assignet, *aliam* alii attribuet; hominem siquidem propterea esse animal, quia substantia *est* animata sensibilis; quod vero pictum, quatenus substantiae animatae sensibilis *imago* est, eatenus esse animal dicet.

"—*Interr.* Quoniam unum modum aequivocorum *ex proportione* esse dixisti, numquid *etiam ex translatione* modus aliquis est, *qui sub hunc ex proportione reducatur, an diversi modi existimandi sunt ex proportione et ex translatione?*

"—*Resp. Erraverunt quidem multi,* quorum unus fuit etiam Atticus, qui *unum et eumdem aequivocorum modum* ex proportione et ex translatione esse opinabantur, *duosque hos in unum* confundebant (1).

---

(1) Et hoc bene nota, quia in eundem errorem incidisse videntur nonnulli scholastici de quibus postea sermofiet.

"—*Interr.* Plane nobis explica quid velis.

"—*Resp. Ex translatione* id esse dico cum res aliqua nomen quidem ***proprium*** habet, sed de ea tamen alio nomine quispiam *aliunde* sumpto ac *translato* abutitur. Tunc enim nulla aequivocatio est. At cum nomen nullum aliud habet res nisi id quo utimur, aequivocatio est. Exempli causa, montium infimae partes ὑπώρεια apellantur, quasi dixeris ***submontana,*** ut inquit Homerus: sub montana Idae quae gens habitabat aquosae. Has imas montium partes poëtae saepenumero *pedes* vocant, quemadmodum ubi ait Homerus: omnes namque *pedes Idae* quassantur aquosae. *Lecti* etiam partes, quae cubile ipsum sustinent ac fulciunt, *pedes* nuncupantur; quin etiam *mensarum* et *navium* pedes dicuntur: pedem navis usque tenebam, inquit Poëta. Hic igitur neque navis neque Idae pedes aequivoce fuisse appellatos quispiam diceret, propterea quod et navis proprio nomine appellatum habet ***gubernaculum*** et mons ***submontana***; in mensa vero et lecto non ita dici potest, quippe cum quae totum cubile sustentant partes et quae mensam sustinent non alio nomine appellantur quam *pedes* ex proportione quam ad animalium pedes habent. Qua de causa solum nomen esse in aequivocis dictum est. Nam lectorum et mensarum suffultrices partes pedum nomen commune habent, submontanam et gubernaculum montium et navium propria sunt, pedum autem appellatio in his est aliunde *translata;* quocirca *ex translatione* dicta esse, ***non aequivoce,*** asserendum est; neque enim dici *aequivoca* ***ex similitudine*** ullo modo possunt. Quam enim similitudinem ad animalium pedes habere montium imae partes queunt? Est igitur *translate* dictum montis pes, non aequivoce. Nisi quis definitionem aequivocorum attendendam esse censeat, quod et montis pars et hominis pes communi pedis nomine appellentur, ita ut in his quoque nomen commune et ratio diversa conspiciatur, si communiter nomen etiam ***in translationibus*** statuamus. Digna itaque inquisitione res est (1)."

Postremo, inter antiquiores, *Augustinus,* vel quincunque sit auctor libri *de Decem categoriis,* ita loquitur:

"Dividuntur (homonyma) in *duas* partes: ***aut*** enim *fortuitu* fiunt, *aut* hominum ***voluntate*** nascuntur. ***Fortuitu*** fiunt enim, cum quoddam *casu* simile quis alteri nomen accipit. *Voluntate,* cum similitudo nominis *ex industria* imponentis affigitur. Horum autem quae ***industria*** vel *voluntate* nascuntur, ***quatuor sunt genera***: εἰκών, κατ' ἀναλογίαν, ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν: ut eadem latinus quoque sermo declaret: ***similitudo, proportio, ab uno et ad unum.***

"*Similitudo* est, ut homo pictus et verus in sola similitudine copulantur. *Proportio* est quod κατ' ἀναλογίαν graeci vocant, ut quo pacto principium cor dicimus, ita principium aquae fontem dicamus; proportio enim sui similitudo nominis videtur adjuncta. *Ab uno* est, cum dicimus *a medicina* medicinale ferramentum, medicinalis scientia, medicinalis usus, medicinale

(1) PORPHYRIUS, *in Aristotelis Praedicamenta per interrog. et resp. brevis explicatio,* Venetiis apud Hieronymum Scotum, 1546, fol. 2, per totum. Eadem fere docet SIMPLICIUS, *loc. supra cit.*

praeceptum, *ab uno* in cuncta descendunt. *Ad unum* est, ut illa potio salubris est, ille medicus salubris est, ferramentum illud salubre; haec enim cuncta unum, id est, salutem videntur attingere (1)."

*
* *

Hucusque expositores fere ad litteram referunt Magistrum, nihil ex propriis addendo; progressus autem incipit apud arabes Hispaniae.

Audiamus *Averroëm*:

"Quoniam manifestum est quod hoc nomen ens non est aequivocum, quia de eo non esset in una scientia consideratio; neque etiam praedicatur univoce, sicut animal de homine praedicatur et equo, et tamen hoc nomen ens praedicatur de multis, ut manifestum est ex inductione, quia primo praedicatur de substantia et secundo de accidente; quare erit *analogicum*, id est, *per attributionem*, sicut sanum, quod modis diversis sanitati *attribuitur*, quoniam *quoddam* dicitur sanum quia est necessarium ad *sanitatem conservandam*. ut exercitium; *aliud* vero dicitur *sanum*, quia *sanitatem significat*, ut urina et potus; et *quoddam* etiam dicitur sanum, quia *sanitatem significat*, ut urina laudabilis in colore, *in substantia* ut *in contento*, in *die cretico*, ut in *nuntio* sanitatis; et sanum etiam dicimus corpus mundum a malis humoribus, quia est *sanitatis receptivum*, quae *finis* est cui praedicta *attribuuntur*, quoniam omnia *attributa* AUT *uni et eidem* FINI *attribuuntur*, ut de sano diximus sanitatem conservante; AUT *uni et eidem* AGENTI, ut medicus, qui non solum dicitur Medicus, quia scientiam medicinae acquirit, ut homo medicus, sed de omni re quae actioni medici et medicinae adjuvat et convenit; AUT *uni et eidem* SUBJECTO, ut quantitas et qualitas et reliqua accidentis praedicamenta, quae *uni substantiae attribuuntur* per se.

"Cum igitur secundum hos modos diversos ens in eo quod ens de multis praedicetur, nec omnes primo et per se de substantia praedicentur, ideo primo et per se hoc nomen ens substantiae *attribuitur*, et isti modi sunt diversi, ut patet in praedicamentis, quoniam omnes isti substantiae *attribuuntur*, non quia sit eorum *finis*, aut *agens*, sed quia per eam constituuntur, ac ipsorum *subjectum* est, quia non dicuntur entia, sed *dispositiones sunt entis*, et multi homines negabant novem praedicamenta *esse*, asserentes non dari albedinem, sed album, et sic de aliis accidentibus.

"Modus autem secundum quem novem praedicamenta substantiae *attribuuntur* est: quoniam substantia est *ens per se existens;* et *aliud* est ens, quia est *passio substantiae;* et *aliud* est ens, quia est *motus ad substantiam*, motus enim dicitur ens, quia est *via ad verum ens*. *Relatio* quoque dicitur ens, quia est *respectus entis; privatio* quoque dicitud ens, quia est *entis privatio;* et similiter *virtus* et *forma* dicuntur entia *per modum consimilitudinis*, quia faciunt substantiam; *elementa* quoque hoc modo dicuntur entia, quia sunt *elementa substantiae;* dicitur etiam ens id *quod in substantia existit*, et hoc universale est caeteris praedicamentis; *negatio* quoque et *affirmatio* dicitur ens; et similiter hoc nomen ens dicitur *de primis et secundis intentionibus*

(1) *Categoriae decem*, cap. 2; Opera, edit. Parisiis, 1555, t. I, fol. 63, col. 2-3.

ac de omnibus rebus Logicae spectantibus. Cum ergo omnes isti modi sint diversi, apparet quod *ens* dicatur *multis modis per attributionem* et quod consideratio istorum modorum est unius scientiae. Et *probatur,* quoniam, *sicut* reperitur una scientia, et est medicina, quae considerat de omnibus rebus sanitati *attributis, ita* quoque debet reperiri una scientia quae considerat de omnibus *attributis* enti; quoniam res, quae pertinent ad unam scientiam, non tantum sunt quarum subjectum est tantum unum genere aut specie, quae dicuntur *univoce;* sed quarum esse ATTRIBUITUR *uni* FINI, aut *uni* AGENTI, aut *uni* SUBJECTO, id est, *uni* MATERIALI *principio,* ut manifestum est de *attributis* uni sanitati, et, cum talis dispositio sit in entibus qualis est in medicina, manifestum est ergo quod una scientia considerat de ente (1)."

Huic doctrinae omnino consentit *B. Albertus Magnus* (2), a quo aliqualiter recedit *S. Bonaventura,* saltem quantum ad modum loquendi, dum scribit:

"Est convenientia per unius naturae participationem et *per comparationem*: prima convenientia facit communitatem univocationis; secunda communitatem *analogiae sive proportionis.*

"Et *haec* est *secundum triplicem differentiam; aut* secundum *similem* comparationem *duorum ad duo,* ut sicut se habet homo ad animal ita albedo se habet ad colorem; *aut* secundum *dissimilem* comparationem *duorum ad unum,* ut animalis et cibi ad sanitatem; *vel* secundum comparationem *duorum ad invicem,* utputa cum primum est imitatio vel similitudo alterius; similitudo enim non convenit cum consimili in tertio, sed in seipsa (3)."

***

Sed ad supremum fastigium pertingit *Angelicus Doctor,* qui diversis locis infra citandis doctrinam Aristotelis exposuit atque complevit, non tamen ex professo tractatum de analogia *in actu signato* conscripsit. Dividit ergo analogiam in tria membra: *secundum esse tantum, secundum intentionem tantum, secundum esse et intentionem simul.*

Primum membrum indivisum relinquit; *alia* vero *duo subdividit;* nam analogiam *secundum intentionem tantum* distribuit in analogiam *unius ad alterum* et *plurium ad unum;* analogiam vero *secundum intentionem et secundum esse simul* dispescitur in *propriam* et *impropriam* seu *metaphoricam,* addens fieri *etiam* posse inter *determinate* vel *indeterminate* distantia.

***

(1) AVERROES, in IV *Metaph.*, cap. 2, edit. Venetiis, 1560. Opera, t. VIII, fol. 90 per totum.

(2) In IV *Metaphysic.*, tract. I, cap. 3, edit. Vives, t. VI, p. 206-207; I *Sent.* dist. 8, A, art. 7. ad 3, t. XXV, p. 229 a.

(3) I *Sent.*, dist. 1, art. 3, q. 1, edit. Vives, t. I, p. 41 a.

Statim vero incipit declinatio cum *Scoto,* qui trimembrem itidem analogiam admittit his verbis:

"Ponitur autem analogia in voce *tripliciter*: *vel* quia significat unam rationem primo, quae *existendo* diversimode convenit duobus vel pluribus, quae dicuntur analogata, sicut hoc nomen *causa* et hoc nomen *principium* et multa alia nomina quae distinguuntur in V *Metaph.* significant unam rationem primo, tamen illa est in diversis secundum ordinem. *Alio modo* ponitur analogia *in vocibus,* quia unum significatur per prius per vocem et reliquum per posterius, cujus causa ponitur; quia significare sequitur intelligere; quod igitur per prius intelligitur alio, si significetur per eamdem vocem per quam et illud aliud, per prius significabitur. *Tertio modo;* quia vox uni imponitur *proprie,* et propter aliquam *similitudinem* ad illud cui primo imponitur, transfertur vox ad *significandum* aliud, sicut est in secundo modo aequivocationis, ubi etiam est quodammodo ordo *in significando;* quia numquam vox transfertur ad *significandum* aliquid nisi supponatur ipsam impositam esse ad *significandum* aliquid *proprie,* et hoc secundum *significat* solum propter aliquam similitudinem ejus ad illud cui primo imponitur (1)."

Addit autem postea *tertium modum* esse *probatissimum* (2), ex quo sequi videtur analogiam *propriissime* in *metaphora* reperiri, juxta Scotum (3).

Nec mirum, si declinatio haec nominalismo debeatur; nam, deficiente Metaphysica, necesse est et analogas notiones de medio pellere. At surrexit tandem *Cajetanus,* specialem tractatum aristotelico-thomisticum scribens, de *Nominum Analogia.* Sic enim incipit ipse: "Invitatus, et ab ipsius rei obscuritate, et *a nostri aevi flebili profundarum litterarum penuria,* de *Nominum analogia* in his vacationibus tractatum edere intendo. Est siquidem ejus notitia adeo necessaria ut sine illa non possit Metaphysicam quispiam discere, et multi in aliis scientiis ex ejus ignorantia errores procedant. Quod *si ullo usquam tempore accidit, hac aetate id evenire clara luce videmus,* dum *analogiam,* vel *indisjunctionis,* vel *ordinis,* vel *conceptus praecisi unitate, cum inaequali participatione* constituunt (4). Ex dicendis namque patebit, *opiniones hujusmodi a veritate,* quae ultro se offerebat, *per abrupta deviasse*" (5). Cajetanum pos-

---

(1) *Super Praedicamenta,* q. 4, n. 4, edit. Vives, t. I, p. 446. Huic Scoti divisioni affinis est quae traditur a CHOLLET in *Dictionnaire de Théologie catholique,* verb. *Analogie,* t. I, col. 1143-1146.

(2) Ibid., n. 6, p. 447.

(3) Et ideo etiam *in omni* vera analogia *aliquid metaphorae* inveniri debet, ut postea docuit SUAREZIUS (*Dispp. Metaph.,* disp. 2, sect. 2, n. 24 (edit. Vives, t. XXV, p. 78 a) et disp. 28, sect. 3, n. 11 (edit. cit., t. XXVI, p. 16 b), licet admittat deinde attributionem sine metaphora (loc. cit., disp. 28, sect. 3, n. 14, p. 17 b). Hoc autem merito reprehenditur a Porphyrio supra citato.

(4) Tunc enim non esset nisi analogia *inaequalitatis,* quae simpliciter est *univocitas,* et hoc affirmabant Scotistae, quibus postea adhaeserunt suareziani, si non verbis, saltem re (Cfr. Syllabum Suarezianum oppositum syllabo thomistico, th. 4 apud LA CIENCIA TOMISTA, mayo-junio 1917 et apud *Der Katholik,* 1918, n. 6, p. 21).

(5) *De Nominum analogia,* cap. 1, p. 249.

tea sequuti sunt thomistae (1) et alii, donec saeculo XVII et sequentibus scholastici paulatim amittentes plus minus verum spiritum peripateticum, cum vera metaphysica sepelierunt et analogiam, quae sepulta jacuit fere usque in hodiernum diem.

Mitto nonnullos scholasticos (2) temporis *Renascentiae*, ut ajunt, qui, seposita uberiori explicatione thomistica, antiquorum divisionem restituere conati sunt; sed novam tendentiam inducere non valuerunt.

At haec dicta sufficiant pro expositione historica divisionis analogiae. Integros autem textus —etsi nonnunquam nimis extensos— afferre voluimus, ut ipsemet lector propriis oculis veritatem cernere posset, et ne sinistre interpretetur quae postmodum dicturi sumus.

*
* *

Superest ergo ut **objective** et **simpliciter** rem cosideremus *secundum principia generalia philosophiae peripateticae*.

Quia igitur *divisio respondere debet divisibili sicut actus potentiae* —est enim divisio *actus proprius* divisibilis in quantum hujusmodi— *ex*

---

(1) Qui et summis laudibus extulerunt tractarum illum; sic v. gr., a FERRARIENSI (*In I contra Gent.*, cap. 34, edit. Sestilli, Romae, 1897 et sqs., t. I, p. 226) appellatur "ingeniosissimum opus", ab ARAUJO "insigne et omnibus numeris absolutum opusculum" (*in VI Metaph.*, q. 2, art. 3, Salmanticae, 1631, t. I, p. 436), a JOANNE A S. THOMA (*Curs. Phil. Loq.*, II, P. q. 13, art. 3, edit. Vives, t. I, p. 407 a) "difficultates de analogia, quae satis metaphysicae sunt, ita copiose et subtiliter a Cajetano disputatae sunt in opusc. *de Nominum Analogia*, ut nobis locum non reliquerit quidquam aliud excogitandi".

(2) V. gr., TOLETUS, qui hanc tradit divisionem (*Comment. in Universam Arist. Logicam*, fol. 44-45, edit. Venetiis, 1590):

Aequivocum...
- I) a casu vel fortuna.
- II) a consilio
  - *A*) a consilio pure aequivocum
    - α) a memoria.
    - β) a spe.
  - *B*) a consilio analogum
    - α) a similitudine
      - *a*) a forma.
      - *b*) ab actione.
    - β) a causa.........
      - 1) efficienti.
      - 2) finali.
      - 3) materiali.
    - γ) a proportionalite.

Pariter MAS (*Comment. in Porph. et in Universam Arist. Dialect.*, Valentiae, 1592, p. 510):

Homonyma...
- I) a casu.
- II) a consilio...
  - α) propter memoriam.
  - β) propter spem.
  - γ) propter analogiam.
  - δ) ab uno.
  - ε) ad unum.

CONIMBRICENSES quoque addunt divisionem analogorum in analoga *essentialia* et *accidentalia*, *quoad naturam* et *quoad modum* (*Comment. in Dialect. Arist.* Conimbricae, 1607, p. 235).

natura ipsa analogiae divisio ejus sumenda erit. Constat autem, ex supra dictis, analogiae notionem *duplicem formalitatem* seu adspectum induere: formalitatem scilicet **mathematico-metaphysicam,** secundum directionem viae *inductivae,* et formalitatem **logico-metaphysicam,** secundum directionem viae *deductivae. Sicut* ergo *venatio* completa et perfecta exigebat *ex parte nostri* processum per utramque viam, *ita* et *divisio ejus* perfecta et completa requirit considerationem utriusque adspectus; et inde enascitur consequenter *duplex caput divisionis analogiae* singillatim exponendum, et *sicut* ibi utraque notio conveniebat *ita* et hic utraque divisio coincidere debet.

§ I

DIVISIO ANALOGIAE SECUNDUM FORMALITATEM **mathematico-metaphysicam.**

Constat ex termino viae inductivae quod *analogia* nihil est aliud quam *proportio transcendentaliter sumpta.* Ergo divisio analogiae debet esse *divisio proportionis sic intellectae* (1). Jam autem, *divisio* proportionis *metaphysicae* debet esse et ipsa *proportionalis* seu analoga ad *divisionem* proportionis *mathematicae,* cum et talis proportio sit analoga ad proportionem illam. Oportet igitur divisionem hanc praesupponere divisionem illam proportionis *praedicamentalis,* ut ex ea *per abstractionem analogam* inferatur divisio proportionis *transcendentalis,* et sic verificetur profundissimum effatum illud magni *Cajetani* dicentis: "*metaphysicales processus* utuntur *una ratione simpliciter* (scilicet univoca) *in principio* inquisitionis, sed *in termino* utuntur *ratione una non simpliciter, sed secundum analogiam*" (2); quia talis est processus rationis nostrae ut terminus *a quo* sit *physicus* vel *mathematicus* (univocus), sed terminus *ad quem* sit *metaphysicus* (analogus, *trans*cendentalis).

*
* *

Quamvis autem proportiones mathematicae in infinitum multiplicari queant, ad rem tamen nostram quod attinet, ut ex illa metaphysice su-

---

(1) Ita, attendendo ad proportionem, dividunt JOANNES MARTÍNEZ DE PRADO (op. et loc. cit., n. 9) et ROSELLI (*Summa Philosoph., Logic.,* q. 11, art. 1, edit. Matriti, 1789, t. I, p. 323).

(2) *Comment.* in I, q. 13, art. 5, n. 10. "Sic, addit profunde FERRARIENSIS, est de omnibus divinis nominibus, quae *proprie et analogice* de ipso (Deo) et creaturis dicuntur. Nam hoc nomen, sapientia, *primo* attributum est ad significandum *sapientiam humanam absolute,* sicut et *primo absolute* cognita est. *Deinde* cognito ipsam esse a sapientia divina exemplatam, impositum est ad significandum divinam sapientiam. Tum *postremo* impositum est ad significandum *sapientiam humanam in ordine ad sapientiam divinam* tamquam ad causam et exemplar, et acceptum est tamquam nomen *analogum* et *proportionale;* et simile est de aliis divinis nominibus". (*In I, Contra Gent*.. cap. 34, p. 225).

matur divisio altera proportionalis, ad sequentes reduci possunt: proportionum alia est **simplex** et alia **composita,** quae iterum *duplex* est: ***conjuncta,*** συνεχής, et ***disjuncta,*** διῃρημένη (1) **seu** ***continua*** et ***discreta.*** Item, alia est *ordinata* et alia *permutata;* alia *arithmetica,* ἀριθμητική et **alia** *geometrica,* γεωμετρική (2): **alia** ***determinata seu finita,*** ὡρισμένως, σύμμετρος, et alia ***indeterminata seu infinita,*** ἀωρισμένως, ἀσύμμετρος (3), **quae** ab aliis vocantur etiam *rationabilis et irrationabilis* (4).

Audi explicationem *S. Thomae*:

"Primus modus relationum, qui est secundum numerum, distinguitur **hoc modo**: quia *vel* est secundum comparationem ***numeri ad numerum, vel numeri ad unum*** (5). Et secundum comparationem ***ad utrumque dupliciter***: quia *vel* est secundum comparationem numeri **indeterminate** ad numerum, aut ad unum **determinate**" (6).

"*Proportio* **est habitudo** UNIUS quantitatis ad *alteram,* sicut sex ad tria se **habent in** proportione dupla. *Proportionalitas* **vero** est collatio DUARUM ***proportionum.*** Quae, si sit **disjuncta,** habet *quatuor* terminos, ut hic: sicut se **habent** quatuor ad duo, ita sex ad tria. Patet autem quod in proportione ***duo*** termini se habent ut *antecedentia, duo* vero ut *consequentia,* ut hic: **sicut** se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria; sex et quatuor **sunt antecedentia,** tria vero et duo sunt consequentia. **Permutata** ergo proportio **est quando** antecedentia invicem conferuntur, et consequentia similiter; ut si dicam: sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad **tria**; ergo sicut se habent quatuor ad sex, ita se habent duo ad tria (7)."

"***Omnis proportionalitas ad minus*** consistit ***in quatuor;*** est enim ***duplex*** proportionalitas: una quidem **disjuncta** et alia **continua.** *Disjuncta* quidem **proportionalitas** est aequalitas duarum proportionum ***non convenientium in aliquo termino.*** Cum ergo ***omnis proportio*** sit ***inter duo,*** manifestum est quod proportionalitas ***disjuncta*** in quatuor terminis consistit, ut si dicam: sicut se

---

(1) V *Ethic. Nic.*, III, 9 (II, 55, 42-43).

(2) V *Ethic. Nic.*, III, 13 (II, 56, 6-7); IV, 3 (II, 56, 29-30).

(3) IV *Metaph.*, XV, 2-3 (II, 526, 40-48).

(4) S. AUGUSTINUS, *de Musica*, lib. I, cap. 9. Opera, edit. cit., t. I, fol. 72, col. 3 in fine; THOMAS BADUARDINUS, cujus haec verba referimus: "*Proportio vel est communiter* dicta *vel proprie;* est accepta *communiter* in omnibus quae aequale vel inaequale, majus vel minus seu etiam simile vel dissimile, magis et minus suscipiunt; et ideo *in quibusqumque potest aliqua comparatio haberi, in eis est proportio* inventa, quae sic poterit definiri: *proportio est duorum comparatorum in aliquo in quo comparantur unius ad alterum habitudo.* Proportio autem, quae *proprie* est accepta, *in solis quantitatibus* reperitur, quae definitur hoc modo: *proportio est duarum quantitatum ejusdem generis unius ad alteram habitudo,* et haec est *duplex*: *irrationalis* seu *commensurabilis* vel *determinata* et *incommensurabilis* vel *indeterminata*" (*Tract. proportionum,* Venetiis mandato et sumptibus heredum oct. Scoti, 1505, pars prima, cap. 1, fol. 10, col. 2-3).

(5) κατ' ἀριθμὸν πρὸς ἀριθμὸν καὶ πρὸς ἕν dicit ARISTOTELES, IV *Metaph.*, XV, 2 (II, 526, 20 sqq.).

(6) V *Metaph.*, lect. 17, n. 1006; Cfr. etiam *ibid.*, n. 1016-1022 et V *Polit.*, lect. 1.

(7) I *Post.*, lect. 12, n. 8.

habent sex ad tria, ita se habent decem ad quinque; utrobique enim est dupla proportio. In hac igitur *continua* proportionalitate sunt *quodammodo* quatuor termini, in quantum scilicet utimur *uno termino ut duobus,* unum terminum *bis* dicendo, scilicet in utraque proportione, ut si dicam: quae est proportio A ad B, id est, octo ad quatuor, eadem est proportio B ad C, id est, quatuor ad duo; utrobique enim est dupla. Sic ergo B dicitur bis: unde quamvis B sit *unum subjecto,* quia tamen *accipitur ut duo,* erunt quatuor proportionata...

"Sicut proportionalitas ita et justum ad minus in quatuor invenitur, in quibus attenditur eadem proportio, quia scilicet secundum eamdem proportionem dividuntur res *quae* distribuuntur et personae *quibus* distribuuntur. Sit ergo A unus terminus, puta duae librae, B autem sit una libra; C autem sit una persona, puta Socrates, qui duobus diebus laboravit, D autem sit Plato, qui uno die laboravit. Sicut ergo se habet A ad B, ita se habet C ad D; quia utrobique invenitur dupla proportio; ergo **permutatim,** sicut se habet A ad C, ita B ad D. *Quaecumque autem sunt ad invicem proportionalia et permutatim proportionalia sunt* (1), sicut patet in praedicto exemplo: sicut se habent decem ad quinque ita octo ad quatuor; ergo **commutatim,** sicut se habent decem ad octo, ita se habent quinque ad quatuor, utrobique enim est sexquiquarta proportio. Sic ergo et *permutatim* erit verum dicere quod sicut se habet A ad C, id est, duae librae ad eum qui duobus diebus laboravit, ita B ad D, id est, una libra ad eum qui uno die laboravit.

"Etiam est in talibus considerandum quod in his quae sic sunt proportionalia, quod quae est proportio *unius* ad *alterum,* eadem est proportio *totius ad totum;* puta, si quae est proportio decem ad octo, eadem est proportio quinque ad quatuor, sequitur *ulterius* quod quae est proportio decem ad octo et quinque ad quatuor eadem est proportio decem et quinque *simul* sumptorum quae sunt quindecim, ad octo et quatuor *simul* accepta quae sunt duodecim, quia hic etiam est sexquiquarta proportio. Et unde? Quia quindecim continet duodecim et quartam ejus partem scilicet ternarium. In proposito sequitur quod sicut se habet ista res ad istam personam, ita etiam se habet *totum ad totum,* id est, utraque res *simul* accepta ad utramque personam *simul* acceptam, et hoc est quod distributio conjungit. Patet ergo quod conjunctio A cum C, id est, rei duplae cum persona duplo digniore, et B cum D, id est, dimidii cum dimidio, est justum distributivum, et tale justum est medium. Injustum autem est praeter hanc proportionalitatem; proportionale enim est *medium* inter excessum et defectum, quia proportionalitas est *aequalitas proportionis*...

---

(1) Loquendo de proportione *proprie* dicta seu *mathematica,* non autem si fiat sermo de proportione *metaphysica,* ut docet S. THOMAS, *De Verit.,* q. 27, art. 7, ad 4: q. 29, art. 8, ad 7 et III *Sent.,* dist. 34, q. 2, art. 3, qla. 1, ad 1, ubi sic scribit, "proportio autem *commutata non tenet in omnibus,* sed *in numeris* et *magnitudinibus*". Alibi autem docet qualiter in hac proportione sit arguendum: "proportione *commutata,* inquit, sic est *utendum*: sicut se habet primum ad secundum, ut duo ad tria, ita se habet tertium ad quartum; ergo *commutatim;* sicut se habet primum ad tertium, ita secundum ad quartum, id est, tria ad sex". (*Quodlib.* 1, q. 10, art. 2, ad 1.)

"Praedicta proportionalitas, quae attenditur secundum aequalitatem proportionis, a mathematicis vocatur **geometrica,** in qua scilicet accidit quod ita se habet totum ad totum, sicut altera partium ad aliam (1); non autem hoc accidit in proportionalitate **arithmetica...**

"Ista proportionalitas, quae attenditur in justitia *distributiva* non potest esse *continua,* quia ex una parte sunt *res* et ex alia parte sunt *personae,* et ita non potest accipi aliquid quasi terminus communis, quae sit persona *cui* datur et res *quae* datur (2).

"Justum quod consistit in commutationibus in aliquo quidem convenit cum justo distributivo, quod scilicet justum est aequale et injustum inaequale; sed in hoc differunt quod aequale in justitia commutativa non attenditur secundum proportionalitatem illam scilicet *geometricam,* quae attendebatur in distributivo justo; sed magis secundum *arithmeticam,* quae scilicet attenditur secundum *aequalitatem quantitatis,* et non secundum *aequalitatem proportionis,* sicut *geometrica.* Sex enim secundum *arithmeticam* proportionem medium est inter octo et quatuor, exceditur enim ab uno et excedit alterum in duobus; sed non est proportio eadem utrobique, nam sex se habent ad quatuor in sexquialtera proportione, octo vero ad sex in sexquitertia. E contrario vero secundum *geometricam* proportionalitatem medium exceditur et excedit secundum eamdem *proportionem,* sed non secundum eamdem *quantitatem;* sic enim sex est medium inter novem et quatuor; utrobique enim invenitur sexquialtera *proportio,* sed non eadem *quantitas;* novem enim excedunt sex in tribus, sex vero quatuor in duobus... (3)."

Audiantur etiam pauca verba *B. Alberti Magni*:

"*Proportionum* autem, inquit, quaedam est **conjuncta** et quaedam **disjuncta.** *Conjuncta* autem dicitur quae medio *uno* termino *bis* utitur, sicut punctum continuans in linea bis idem est in duplici ratione sumptum, scilicet finis et principii; sicut si dicam: sicut se habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo. Medius enim terminus idem est in duplici ratione; quatuor enim quod est medius terminus unus et idem in subjecto acceptus, ad duo est in ratione dupli et ad octo in ratione subdupli. *Disjuncta* autem proportio est quae a medio uno termino copulatur, sicut si dicam: sicut se habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem; nullo enim uno termino medio, qui ad primum et quartum referatur, copulatur.

"Adhuc, est proportio **ordinata,** et est proportio **permutata.** Proportio *ordinata* est quae *sine permutatione* partium ordinata similitudine unius ad alterum attenditur, sicut si dicam: sicut tria ad quinque, ita sex ad decem. *Permutata* autem proportio est quae est in ordine proportionis partium permutatione, sicut si dicam: sicut similis proportio est primi ad secundum et tertii ad quartum, ita similis proportio est primi ad tertium et secundi ad

(1) Cfr. *II-II*, q. 61, art. 1-2; q. 63, art. 1; II *Sent.*, dist. 27, q. 1, art. 3, et Dom. Soto, *de Justitia et Jure,* lib. III, q. 5, art. 2, concl. 2.ª, Salmanticae, 1557 p. 223.

(2) V *Ethic.*, lect. 5.

(3) *Ibid.*, lect. 6; Cfr. etiam lect. 4 in fine et lect. 7 et V *Polit.*, lect. 1.

quartum et totius constituti ex primo et secundo ad totum constitutum ex tertio et quarto" (1).

* * *

Exinde ergo **analogice** assurgere possumus ad divisionem proportionis **transcendentalis** vel **metaphysicae,** quae, ut patet, *non erit simpliciter eadem cum illa, sed solum proportionaliter,* et quidem ad proportionem *geometricam* potius quam ad arithmeticam (2).

Sic igitur *proportio transcendentalis* potest esse aut **simplex** aut **composita;** erit *simplex,* si terminus **ad quem** comparationis est *unus* tantum; *composita* vero, si *plures.*

"Proportione vero vel analogia, dicit *S. Thomas,* sunt *unum* quaecumque in hoc *conveniunt,* quod *hoc se habet ad illud sicut aliud ad aliud.* Et hoc quidem potest accipi **duobus modis:** *vel* in eo quod oliqua *duo* habent diversas habitudines **ad unum,** sicut *sanativum* de *urina* dictum habitudinem significat *signi sanitatis,* de *medicina* vero quia significat habitudinem *causae respectu ejusdem;* vel in eo quod est eadem proportio *duorum* **ad diversa,** sicut tranquillitas ad mare et serenitas ad aërem; tranquillitas enim est *quies* maris et serenitas (*quies*) aëris (3)."

Idipsum tenet *S. Bonaventura,* juxta quem analogia "dicit habitudinem *duorum ad duo,* ut in nauta et ductore (4), *vel unius ad unum,* ut exemplaris ad exemplatum" (5).

α) Simplex autem *dupliciter* subdividi potest: *materialiter,* ex parte termini **a quo** proportionis, qui est vel *unus* vel *multiplex,* et sic dividitur in proportionem *unius* ad unum et *plurium* ad unum; **formaliter** vero ex parte *ipsiusmet relationis proportionis,* et tunc erit vel *pura,* si distantia vel dissimilitudo inter illos terminos est *determinata* seu *finita,* vel *mixta,* si distantia illa est *indeterminata* seu *non finita qualitercumque,* scilicet vel *secundum quid* vel *simpliciter.*

Ad rem iterum *S. Thomas*:

---

(1) V *Ethic.*, tract. II, cap. 5, t. VII, p. 346 b.

(2) Attenditur enim potius similitudo vel aequalitas *proportionum* quam aequalitas *quantitatum.* Item, quia sicut justitia *distributiva,* ita etiam et proportio geometrica seu proportionalitas —quae est ejus medium— analogice sumpta, est propria scientiarum *superiorum*: unde sicut *superior* injuste distribuendo committit *peccatum acceptionis personarum,* ita et *metaphysicus,* qui non attendit ad dignitatem uniuscujusque *inferiorum* scientiam, *peccatum acceptionis scientiarum* committit, ut videre est, apud scriptores declivioris scholasticae.

(3) V *Metaph.*, lect. 8, n. 879. Exemplum est Aristotelis in I *Topic.*, XV, 2 (I, 180, 36) et XVI, 12 (I, 48-49).

(4) Exemplum classicum a Socrate adhibitum et a peripateticis post Aristotelem (II *Rhetor.*, XX, 4 (I, 370, 17-22) saepe repetitum (Cfr. S. Thomam, *De Verit.*, q. 23, art. 7, ad 9); ejus autem analogia ita explicatur a B. Alberto Magno (V *Ethic.*, tract. II, cap. 5. t. VII, p. 345 a): "Sicut se habet rector navis ad navem, ita rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet quod *uterque* eorum *non sorte,* sed *arte* eligitur."

(5) I *Sent.*, dist. 3, part. 1, q. 2, ad 3, edit. cit., t. I, p. 68 b).

"Quod quidem (scilicet analogice praedicari) **dupliciter** contingit in nominibus: *vel* quia **multa** habent proportionem *ad unum*, sicut sanum dicitur de medicina et urina, in quantum *utrumque* habet ordinem et proportionem ad *sanitatem animalis*, cujus hoc quidem signum est, illud vero causa; *vel* ex eo quod **unum** habet proportionem *ad alterum*, sicut sanum dicitur de medicina et animali, in quantum medicina est causa *sanitatis* quae est *in animali* (1)."

Voco autem primum membrum *subdivisionis formalis* proportionem **puram**, quia *simul* adsunt *duo* elementa proportionis *stricte* dictae, scilicet habitudinem *inter duos terminos* et distantiam *finitam;* **mixtam** vero appello membrum alterum, propterea quod *unum* ex illis elementis videlicet distantia *determinata, deest,* et sic quodammodo accedit ad proportionem *compositam,* aliquid participans de ipsa; unde effatum peripateticorum: infiniti ad finitum et finiti ad infinitum nulla est proportio (stricte dicta seu pura), τὸ ἄπειρον πρὸς τὸ πεπερασμένον ἐν οὐθενὶ λόγῳ ἐστίν (2).

Subdivisionem vero proportionis *mixtae* una cum ejus terminologia, sine dubio *S. Thomas* desumpsit ex *Aristotele* in *V Metaphysic.* supra cit., *modo proportionali* (3). Terminos autem illos egregie exponit his verbis:

"Cognitio intellectiva in nobis sumit principium a phantasia et sensu, quae ultra continuum se non extendit; et inde est quod ex his quae in conti-

(1) I, q. 13, art. 5. "Scilicet, ut adnotat CAJETANUS in h. l, n. 13, quia *vel* est ratione proportionis aliquorum *inter se*, et haec vocatur *unius ad alterum;* vel ratione proportionis aliquorum, *non inter se, sed ad tertium*, et haec vocatur *duorum ad tertium* vel *multorum ad unum*". Cfr. I *Contra Gent.*, cap. 34, *init.; De Pot.*, q. 7, art. 7; I *Sent.*, dist. 35, q. 1, art. 4 in fine corp. et ibid. *Prolog.*, q. 1, art. 2, ad 2.

(2) I *de Coelo*, VII, 9 (II, 377, 5-6). Cfr. *ibid.*, VI, 9 (II, 375, 30-31).

(3) *Proprie* enim loquendo Angelicus Doctor non admittit proportionem inter Deum et creaturam (infinitum et finitum, ut ex Aristotele etiam audivimus), sed proportionalitatem, quia scilicet "finiti ad infinitum quamvis non possit esse proportio *proprie* accepta, tamen potest esse *proportionalitas*, quae est duarum proportionum similitudo; dicimus enim quatuor esse proportionata duobus, quia sunt eorum dupla; sex vero esse quatuor proportionabilia, quia sicut se habent sex ad tria ita quatuor ad duo. *Similiter finitum et infinitum*, quamvis non possint esse proportionata, possunt tamen esse proportionabilia, quia sicut infinitum est aequale infinito, ita finitum finito; et per hunc modum est similitudo inter creaturam et Deum, quia sicut se habet Deus ad ea quae ei competunt, ita creatura ad sua propria." (*De Verit.*, q. 23, art. 7, ad 9). Et ratio est, quia *proportionalitas abstrahit a distantia*, et ideo *similiter invenitur in parum vel multum distantibus*, ut idem *S. Thomas* docet scribens: "similitudo quae attenditur ex eo quod aliqua duo participant unum vel ex eo quod unum habet aptitudinem determinatam ad aliud, ex qua scilicet ex uno alterum comprehendi possit per intellectum, diminuit distantiam; non autem similitudo quae est secundum convenientiam proportionum, *talis enim similitudo similiter invenitur in multum vel parum distantibus;* non enim est major similitudo proportionalitatis inter duo et unum et sex et tria quam inter duo et unum et centum et quinquaginta. Et ideo infinita distantia creaturae ad Deum similitudinem praedictam non tollit" (*De Verit.*, q. 2, art. 11, ad 4). Cfr. *De Pot.*, q. 3, art. 1, ad 7 in fine; *ibid.*, ad 3 et art. 4 in fine corp. et ad 2.

nuo inveniuntur, transsumimus nomina ad omnia quae capimus intellectu; sicut patet in nomine *distantiae,* quae *primo* invenitur *in loco,* et *exinde transsumitur* ad *quamcumque formarum differentiam.* Propter quod *omnia contraria,* in quocumque sint genere, dicuntur esse *maxime distantia,* licet distantia primo inveniatur in *ubi,* ut Philosophus dicit in X Metaphysic (1)." Et alibi: "Dicuntur tamen res *distare* a Deo per *dissimilitudinem* naturae vel gratiae, sicut et ipse est *super omnia per excellentiam suae naturae* (2)."

Et quia *infinitum* dividitur in *secundum quid* et *simpliciter,* propterea *proportio haec* inter extrema *infinite distantia* divisionem illam suscipere debet. Sic inter Deum et creaturam datur distantia **simpliciter** infinita, non autem inter creaturam et creaturam, sed solum **secundum quid.**

β) COMPOSITA vero, quae proprio nomine dicitur **proportionalitas,** potest esse aut **propria** aut **impropria** seu **metaphorica,** prout termini proportionales utriusque proportionis sumuntur in significatione propria *ex utraque parte* vel *ex alterutra tantum.* Sic, v. gr., hoc nomen *pulchritudo* sumitur *proprie* in pulchritudine *physica* et in pulchritudine *spirituali* vel *morali;* "sicut enim *in corpore* pulchritudo dicitur ex debita proportione *membrorum* in convenienti claritate vel colore, ita *in actibus humanis* dicitur pulchritudo ex debita proportione *verborum* vel *factorum* in quibus lumen rationis resplendet" (3). E contra hoc nomen *risus* non dicitur *proprie* nisi de risu hominis; nam de risu prati vel fortunae dicitur *per translationem.*

Significatio autem *propria* idem est ac significatio *primaria, principalis, essentialis* (ratio enim quam **significat** nomen est *definitio*), et propterea sumitur secundum *totalitatem naturae* rei significatae, quia essentia, sicut et *species,* sumitur secundum *totum;* significatio vero *metaphorica* vel *translata* idem est ac *secundaria, accidentalis* et *secundum quid,* et idcirco sumitur *secundum partem* rei significatae, scilicet secundum aliquam *proprietatem* specificam vel individualem ejus. Semper tamen requiritur aliqua *similitudo,* quia secus nec analogia reperiretur (4). Unde et Tullius: "*translata* (metaphorica) eo dico, ut sae-

---

(1) *De Pot.*, q. 10, art. 1.

(2) I, q. 8, art. 1, ad 3. Cfr. CAJETANUM in h. l., n. 16-17.

(3) *Comment. in I Cor.*, cap. 11, lect. 2, edit. Marietti, 1912, p. 327 b.

(4) Imo et *S. Doctor* post ARISTOTELEM (III *Rhetor.* supra cit.) non semel promixcue usurpat haec verbe "similitudinarie" et "metaphorice", ut videre est in hoc loco: "aliquod nomen potest esse communicabile *dupliciter*: uno modo *proprie;* alio modo *per similitudinem. Proprie* quidem communicabile est quod *secundum totam significationem* nominis est communicabile multis; *per similitudinem* autem communicabile est quod est communicabile *secundum aliquid* eorum quae includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen, *Leo, proprie* communicatur omnibus illis in quibus invenitur *natura* quam significat hoc nomen, leo; *per similitudinem* vero communicabile est illis qui *participant* quid leoninum, ut puta audaciam vel fortitudinem, qui *metaphorice* leones dicuntur" (I, q. 13, art. 9). Et pariter "nullum no-

pe jam, quae *per similitudinem* ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa *transferuntur*" (1), ut cum dicimus "*gemmare* vites, *sitire* agros, *laetas* esse segetes, *luxuriosa* frumenta" (2); ita tamen ut similitudo *non a nimis longe* sumatur, docente *S. Thoma*: "in his autem quae *translative* dicuntur, *non* accipitur metaphora *secundum quamcumque similitudinem,* sed secundum convenientiam in illo quod est *de propria ratione rei cujus nomen transfertur;* sicut nomen *leonis* in Deo non transfertur propter convenientiam quae est *in sensibilitate* (hoc enim est *commune* leoni et caeteris animalibus), sed propter convenientiam *in aliqua proprietate* leonis" (3), puta *in fortitudine,* et "sic nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus *similiter* se habet, ut *fortiter operetur in suis operibus,* sicut leo in suis" (4). Quo fit ut analogia dari non possit ubi termini *utrinque metaphorice* sumuntur; cum enim analogia secundum metaphoram *participare* debeat *aliquid* de analogia *propria,* termini proportionales, *saltem ex una parte,* sumi debent in *primaria significatione.*

Divisio haec iterum conceptis verbis traditur ab Aquinate:

"hoc, inquit (id est secundum proportionalitatem dici), **dupliciter** contingit: **quandoque** enim illud nomen importat *aliquid ex principali significatione* in quo non potest attendi convenientia etiam modo praedicto, sicut est *in omnibus quae symbolice* de Deo dicuntur, ut cum dicitur *Leo* vel *Sol* vel hujusmodi, quia in horum definitione cadit *materia;* **quandoque** *vero* nomen quod de Deo et creatura dicitur *nihil* importat *ex principali significato* secundum quod non possit attendi praedictus convenientiae modus inter creaturam et Deum, sicut sunt *omnia* in quorum definitione *non* clauditur *defectus, nec dependent a materia* secundum *esse,* ut *ens, bonum* et alia hujusmodi (5)."

Utrobique autem potest rursus esse *duplex*: **mixta** *vel secundum quid,* si inter diversas proportiones detur *finita* distantia; et **pura** vel *simpliciter,* si distantia illa sit *infinita categorematice vel syncategorematice.* Sic v. gr., *proprie* loquendo, "sicut se habet *una pars animae* sensitivae *ad unam partem corporis* sensitivi, sic se habet *totus sensus* (seu *tota anima* sensitiva) *ad totum corpus* sensitivum in quantum hu-

---

men significans aliquod individuum est communicabile multis *proprie,* sed solum secundum *similitudinem,* sicut aliquis *metaphorice* potest dici Achilles, in quantum habet *aliquid* de *proprietatibus* Achillis, scilicet fortitudinem" (ibid.).

(1) *Orat.*, cap. 27, n. 92, edit. Parasiis, 1768, t. I, p. 478.

(2) *Ibid.*, cap. 24, n. 8, p. 474. Similia etiam docet S. Augustinus scribens: "*metaphora,* hoc est, de re *propria* ad rem *non propriam* verbi alicujus usurpata *translatio*", ut cum dicimus: "*fluctuare* segetes, *gemmare* vites, *floridam* juventutem, *niveam* canitiem" (*Contra mendacium,* cap. 10, opera, edit. cit., t. IV. fol. 1, col. 4 init.).

(3) *De Verit.*, q. 7, art. 2.

(4) I, q. 13, art. 6.

(5) *De Verit.*, q. 2, art. 11.

jusmodi" (1) (distantia **finita** vel **determinata).** Pariter "sicut manifestatio *corporalis* visionis fit per *lumen corporale,* ita etiam manifestatio visionis *intellectualis* fit per *lumen intellectuale*" (2) (distantia **indefinita** seu infinita *syncategorematice*); et sicut manifestatio visionis intellectualis *naturalis* fit per lumen *naturale,* ita manifestatio visionis intellectualis *supernaturalis* fit per lumen intellectuale *supernaturale* (distantia **infinita** *categorematice* vel simpliciter), et "sicut gratia superadditur naturae, ita gloria gratiae" (3).

Similiter et *metaphorice,* v. gr., sicut se habet *caput* ad reliquum corpus, ita se habet vir ad mulierem totamque familiam, superior ad communitatem, rex ad regnum et Christus ad Ecclesiam: unde et *metaphorice* vir dicitur *caput* mulieris; superior, communitatis; rex, regni; et Christus, Ecclesiae. Eodem modo, sicut *morbus* consistit in quadam deordinatione *corporis,* ita *peccatum* consistit in quadam deordinatione *animae;* unde peccatum est *quasi quidam morbus animae;* et sicut *curatio* se habet ad morbum *corporis,* ita *venia* se habet ad morbum *animae* (peccatum). "Sicut ergo sunt quidam *morbi* curabiles, quidam incurabiles, qui dicuntur *mortales;* ita sunt quaedam peccata (morbi animae) *quasi curabilia,* quae dicuntur *venialia,* et quaedam, *quantum est de se, incurabilia* (licet a Deo curari possint), quae dicuntur *mortalia*" (4).

---

(1) *II de anima,* lect. 2, edit. Lovanii, 1901, p. 79.
(2) II-II, q. 171, art. 2.
(3) *De Verit.,* q. 12, art. 5, ad 4.
(4) *De Malo,* q. 7, art. 1. S. THOMAS ipse haud obscure tradidit hanc divisionem generalem analogiae. En ejus verba: "Dicendum quod nec *omnino univoce* nec *pure aequivoce* nomen scientiae de scientia Dei et nostra praedicatur, sed *secundum analogiam,* quod nihil est aliud dictu quam *secundum proportionem.* Convenientia enim *secundum proportionem* potest esse *duplex,* et secundum hoc *duplex* attenditur *analogiae communitas.* Est enim *quaedam* convenientia inter ipsa quorum est ad invicem *proportio, eo quod* habent *determinatam distantiam* vel *aliam habitudinem ad invicem,* sicut binarius cum unitate eo quod est ejus duplum; convenientia *etiam quandoque* attenditur inter quae *non sit proportio,* sed magis *similitudo duarum ad invicem proportionum,* sicut senarius convenit cum quaternario ex hoc quod sicut senarius est duplum ternarii ita quaternarius binarii. *Prima* ergo convenientia est *proportionis, secunda* autem *proportionalitatis;* unde et secundum modum primae convenientiae invenimus aliquid analogice dictum de duobus quorum unum ad alterum habitudinem habet, sicut ens dicitur de substantia et accidente ex habitudine quam substantia et accidens habent, et sanum dicitur de urina et animali ex eo quod urina habet aliquam habitudinem ad sanitatem animalis. *Quandoque* vero dicitur aliquid analogice secundo modo convenientiae, sicut nomen visus dicitur de visu corporali et intellectu, eo quod sicut nomen visus est in oculo, ita intellectus est in mente. Quia ergo in his quae *primo modo* analogice dicuntur oportet esse aliquam *determinatan habitudinem* inter ea quibus est aliquid per analogiam commune, impossibile est aliquid per hunc modum analogiae dici de Deo et creatura, quia nulla creatura habet talem habitudinem ad Deum per quam possit divina perfectio *determinari.* Sed *in alio modo* analogiae *nulla determinata habitudo attenditur* inter ea quibus est aliquid per analogiam commune, et ideo secundum illum modum nihil prohibet aliquod nomen analogice dici de Deo et creatura. Sed tamen *hoc dupliciter contingit: quandoque* enim illud nomen im-

Notandum est autem quod distinctio illa proportionalitatis in *puram* et *mixtam* debet intelligi *formaliter* et *in subjecta materia,* scilicet *in proportione composita* in qua *essentialiter* requiruntur *quatuor termini.* Nam vel inter proportiones illas datur distantia infinita vel finita. Si *primum,* adest proportionalitas *strictissime* dicta, quia complectitur *simul duo elementa,* quae proportionalitatem constituere possunt, *ut distinguitur a simplici proportione,* ideoque merito appellatur *pura* vel *simpliciter; sin alterum,* obtinetur proportionalitas *mixta* cum proportione simplici; nam, quatenus coalescit *ex quatuor* terminis, accedit ad proportionalitatem, quatenus vero inter illos *finita* tantum distantia interjicitur, deficit a proportionalitate et accedit ad proportionem, ab ipsa participando *proportionem* distantiae.

Nec mirum, si verba haec diversimode sumantur secundum quod dicuntur de proportione simplici et de composita, quia ista divisio, ut mox apparebit, *analoga* est, et consequenter formalitates utriusque membri *analogice* tantum conveniunt.

En ergo schematica divisio analogiae secundum formalitatem *mathematico-metaphysicam*:

---

portat aliquid *ex principali significatione* in quo non potest attendi convenientia inter Deum et creaturam, etiam modo praedicto, sicut est in omnibus quae *symbolice* de Deo dicuntur, ut cum dicitur Leo vel Sol vel hujusmodi, quia in horum definitione cadit *materia,* quae Deo attribui non potest: *quandoque* vero nomen quod de Deo et creatura dicitur *nihil importat ex principali significato secundum quod non possit attendi praedictus convenientiae modus* inter creaturam et Deum, sicut sunt omnia in quorum definitione *non clauditur defectus, nec dependent a materia secundum esse,* ut ens, bonum et alia hujusmodi" (*De Verit.*, q. 2, art. 11).

- I) *Simplex*.....
  - *A) materialiter* sumpta..........
    - α) proportio *unius* ad unum, v. gr., *instrumentum* ad causam *principalem*.
    - β) proportio *plurium* ad unum, v. gr., instrumentum *conjunctum* / instrumentum *separatum* ad causam *principalem*.
  - *B) formaliter* accepta............
    - α) *pura* vel *simpliciter*, v. gr............ cibus *sanus*................. / medicina *sana*.............. / aër *sanus*.................... / deambulatio *sana*.......... / pulsus *sanus*............... ad *sanitatem animalis*.
    - β) *mixta* vel *secundum quid*..................
      - *a)* cum distantia *indefinita* seu *infinita secundum quid*, v. gr. voluntarium *passionis* (appetitus *sensitivi*) ad voluntarium elicitum a *voluntate*.
      - *b)* cum distantia *infinita simpliciter*, v. gr., veritas intellectus nostri ad veritatem intellectus divini.
- II) *Composita* seu *proportionalitas*............................
  - A) *propria*..............
    - α) *mixta* vel *secundum quid*, v. gr. $\frac{\text{sensus}}{\text{sensibile}} = \frac{\textit{hic}\ \text{sensus}}{\textit{hoc}\ \text{sensibile}}$
    - β) *pura* vel *simpliciter*............
      - *a)* cum distantia *indefinita*, v. gr., $\frac{\textit{equus}}{\textit{sua potentia.}} = \frac{\textit{cosmos}}{\textit{sua potentia.}}$
      - *b)* cum distantia *infinita simpliciter*, v. gr., $\frac{\textit{cosmos}}{\textit{sua potentia.}} = \frac{\textit{Deus}}{\textit{sua potentia.}}$
  - B) *metaphorica*.........
    - α) *mixta* vel *secundum quid*, v. gr. $\frac{\text{vulpes}}{\text{calliditas}} = \frac{\text{Herodes}}{\text{calliditas}}$ (Cfr. *Luc.*, XIII, 32).
    - β) *pura* vel *simpliciter*.............
      - *a)* cum distantia *indefinita*, v. gr., $\frac{\text{Leo}}{\text{rugitus}} = \frac{\text{Diabolus}}{\text{rugitus (rabies).}}$ (Cfr. I *Petr.*, V,
      - *b)* cum distantia *infinita simpliciter*, v. gr., $\frac{\text{Leo}}{\text{fortitudo}} = \frac{\text{Deus}}{\text{fortitudo}}$

In hac divisione proportionis metaphysicae, quae sine dubio facta est secundum rationem formalem totius dividendi, non clauditur proportio continua nec permutata; quia ista divisio est *propria* proportionis mathematicae, et nonnisi aequivoce convenire potest proportioni metaphysicae, ut si dicam: ita se habet materia ad *formam* sicut *forma* ad esse. Aequivoce enim forma dicitur *subjectum* essendi, sicut materia est subjectum formae; nam forma proprie est *principium* essendi, et non *subjectum*, quod est *suppositum*.

Et si dicas quod Angelus est *forma* et nihilominus *subjectum* essendi, non obstat; non enim est forma *in* materia, sed separata *a* materia; et ideo, licet *nomen* formae *idem* sit, *res* tamen significata per nomen est *distincta* in utraque proportione: unde non datur proportio continua nisi apparenter et verbotenus (aequivoce).

Nec mirum, quia proportio mathematica et proportio metaphysica sunt *simpliciter diversae*, utpote *analogicae;* et iterum, quia proportio metaphysica est *inter diversa genera*, inter quae *non datur continuitas* rationis *nec permutatio*. Quocirca merito S. Thomas excludit divisiones istas a proportione metaphysica, scribens: "Cum gratia sit perfectio naturae, non sic se habet gratia ad naturam sicut e converso. *Commutata* autem proportio *non in omnibus se tenet, sed in mensuris continuis vel discretis*" (mathematicis) (1). Et alibi: "spirituale non potest esse instrumentum rei corporalis; sicut e converso, et ideo *non tenet* in proposito *proportio commutata*" (2). Denique: "ista proportionalitas quae attenditur in justitia distributiva *non potest esse continua*, quia ex una parte sunt *res* et ex alia parte sunt *personae*, et ita *non potest accipi aliquid quasi terminus communis*, quod sit persona *cui* datur et res *quae* datur" (3). Metaphysica ergo proportio, utpote *superioris*, non potest esse commutativa, sed *distributiva*.

FR. JACOBUS M.ª RAMÍREZ, O. P.

(*Sequitur*.)

---

(1) *De Verit.*, q. 29, art. 8, ad 7.
(2) *De Verit.*, q. 27, art. 7, ad 4. Cfr. etiam alia loca supra citata scilicet. III *Sent.*, dist. 34, q. 2, art. 3, qla. 1, ad 1 et *Quodl.* 1, q. 10, art. 2, ad 1.
(3) V *Ethic.*, lect. 5.

De analogia secundum doctrinam aristotelico-thomisticam

(Sequitur divisio.)

§ II

DIVISIO ANALOGIAE SECUNDUM FORMALITATEM **logico-metaphysicam.**

Diximus in termino viae deductivae analogiam esse *mediam* inter univocationem et aequivocationem puram, et *analoga* ea esse quorum *nomen est idem et ratio significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem.* Monet autem sapienter Divus Thomas quod "*aliter* dividitur aequivocum, analogum et univocum; *aequivocum* enim dividitur secundum *res significatas; univocum* vero dividitur *secundum differentias;* sed *analogum* dividitur *secundum modos*: unde cum *ens* praedicetur *analogice* de decem generibus, dividitur in ea secundum *diversos modos;* unde *unicuique* generi debetur *proprius modus* praedicandi" (1). Rursus: "dicendum, inquit, quod est *duplex modus* DIVIDENDI *commune* in ea quae sub ipso sunt, sicut EST *duplex communitatis modus.* Est enim quaedam divisio *univoci* in *species per differentias* quibus *aequaliter* natura generis in speciebus participatur, sicut animal dividitur in hominem et equum et hujusmodi; *alia* vero *divisio* est *ejus quod est commune per analogiam,* quod quidem secundum *perfectam* rationem praedicatur *de uno* dividentium, et *de altero imperfecte* et *secundum quid,* sicut ens dividitur in substantiam et accidens et in ens in actu et in ens in potentia; et *haec divisio* est *quasi media* inter aequivocum et univocum" (2). Et merito quidem, quia *modus* est quid *medium* inter

---

(1) I *Sent.*, dist. 22, q. 1, art. 3, ad 2. Cfr. etiam *De Verit.*, q. 1, art. 1.

(2) I *Sent.*, dist. 42, q. 1, art. 3. Similia docet S. BONAVENTURA per haec verba: "est divisio unius communis *secundum nomen tantum,* et sic est divisio *aequivoci*; est et alia divisio communis *secundum nomen et rem,* et haec divisio *univoci* est; est tertia *medio modo,* et ista est *analogi,* sicut ista est ubi non est communitas creaturae et creatori secundum naturae participationem, sed secundum similitudinem propor-

differentias extrinsecas **et** ***res,*** et propterea *analogia* —quae **et ipsa** ***analoga*** est— dividi debet secundum rationes vel modos diversos, ***intrinsece tamen imbibitos in analogatis,*** et non secundum differentias specificas **aut secundum res.**

Ut autem divisio **essentialis** sit, attendendum est ad ea quae *essentialiter* seu *simpliciter* dicuntur de analogatis, scilicet ad **diversitatem;** sunt enim *simpliciter diversa.* Ergo divisio *per se* analogiae sumi debet secundum *diversos modos accedendi* ad *aequivocationem puram* vel potius secundum *diversos modos recedendi ab univocitate,* quia idem est motus accessus ad unum contrarium et recessus ab altero contrario correlativo. Fit autem *melius* respiciendo *relative-negative univocitatem,* quam *relative-positive aequivocitatem puram,* quia pure aequivoca non sunt intelligibilia et consequenter divisio non potest esse intelligibilis per relationem ad aliquid inintelligibile. Superest ergo ut diversos modos analogiae sumamus **ex recessu ab univocitate,** quae simpliciter intelligibilis est et *respectu cujus* ratio analoga dicitur *diversa* (1).

Jam vero divisio haec **dupliciter** fieri potest: uno modo **formaliter,** dividendo secundum *diversos modos* diversitatem formalem simpliciter qua superius analogum ad inferiora diversimode descendit; alio modo **fundamentaliter,** considerando *rationes* vel *causas diversas* quibus diversitas illa formalis nititur. Prima divisio erit **logica,** secunda vero **metaphysica.**

Nec scandalizeris tu, thomista, putans me inaudita proferre; nam Logica est in tertio gradu abstractionis sicut Metaphysica —licet abstractio illa *negativa* sit— et insuper habet objectum materiale *aeque extensum* ac Metaphysica; unde et gratiose Dialectica dicitur ab Ari-

---

tionis, et haec communitas est *rationis*" (I *Sent.*, dist. 1, dub. 5, t. I, 31 b, *expositio textus*).

(1) Id quod exemplo suo et in *actu exercito* docuit AQUINAS noster dicens: "quia ergo genus *quodammodo* est *unum* et *non simpliciter, juxta genera latent multa;* id est, *per similitudinem* et *propinquitatem ad unitatem generis, multorum aequivocatio latet.* Sunt autem *quaedam* aequivocationum *multum distantes,* in quibus *sola communitas nominum* attenditur (*aequivoca pura*), sicut si canis dicatur coeleste sidus et animal latrabile; *quaedam* vero sunt (*analoga*) quae habent *quamdam similitudinem,* sicut si hoc nomen *homo* dicatur de *vero* homine et de homine *picto,* in quantum habet similitudinem quamdam veri hominis (analogia *attributionis*); *quaedam* vero aequivocationes sunt *proximae, aut* propter *convenientiam in genere,* sicut si corpus dicatur de corpore coelesti et de corpore corruptibili, aequivoce dicitur (analogice *analogia inaequalitatis*) naturaliter (*physice*) loquendo, quia eorum non est materia una, conveniunt tamen *in genere logico* (sunt univoca logice), et propter hanc generis convenientiam videntur omnino non aequivoca esse; *aut* etiam sunt propinquae *secundum aliquam similitudinem,* sicut ille qui docet in scholis dicitur magister et similiter ille qui praeest domui dicitur magister domus aequivoce, et tamen *propinqua* aequivocatione *propter similitudinem;* uterque enim est rector, hic quidem scholarum, ille vero domus (analogia *proportionalitatis*). Unde propter hanc *propinquitatem* vel *generis* vel *si-*

stotele (1) *mimesis* Metaphysicae. Nihil ergo mirum, si analoga etiam sub logica consideratione aliqualiter cadant, ut supra quoque notavimus. quamvis *proprie* ad Metaphysicam spectent (2); et ideo sub formalitate logica dividi etiam possunt; ut sic, ex diversis modis *praedicandi* ad diversos modos *essendi*, qui *proportionales* sunt illis, gressum faciamus, quasi *a signis ad signata* (3).

A. Divisio ANALOGIAE secundum formalitatem logicam.

Formaliter ergo considerando *diversitatem* illam, oportet quod aut *omnia* analogata *dicant* rationem formalem simpliciter diversam, aut *non omnia*.

) Si **omnia,** tunc est analogia *plurium ad plura,* sicut quando dicimus: ita se habet essentia ad esse sicut materia ad formam. Et haec iterum **dupliciter** fit: *aut* secundum significationem **propriam,** ut in exemplo allato; *aut* secundum significationem *impropriam* seu **metaphoricam,** ut si dicamus: sicut se habet leo ad rugitum suum, ita se habet mare procellosum ad sonum ejus et ventus vehemens ad rumorem ipsius.

---

militudinis non videntur esse aequivocationes, cum tamen sint" (VII *Physic.*, lect. 8, n. 8). Cfr. etiam Arist., V *Ethic. Nic.*, I. 67 (II, 52, 30 sqs.) et B. Albertum Magnum in V *Ethic.*, tract. I, cap. I, t. VII, p. 332-333.

(1) Cfr. III *Metaph.*, II, 13 (II, 502, 13-14) et S. Thomam in IV *Metaph.*, lect. 4, n. 572-575.

(2) Ita etiam sentit P. del Prado scribens: "Santo Tomás, siguiendo en esto a Aristóteles, descubre en esta cuestión *algo más grave que una mera cuestión dialéctica*, algo que, transcendiendo los dominios de la Lógica, *entra de lleno en el mundo real de la Metafísica*" (*Escoto y Santo Tomás* apud La Ciencia Tomista, sept.-oct. 1914. p. 37).

(3) Sicut etiam fit in divisione praedicamentorum (Cfr. S. Thomam in III *Physic.*, lect. 3, n. 15 et V *Metaph.*, lect. 9, n. 890). Unde Cajetanus profunde scripsit: "*Analoga* inveniuntur *duobus modis. Quaedam* enim *significant ipsos respectus* ad primum analogatum, ut patet de sano; *quaedam* vero *significant fundamenta* tantum illorum respectuum, ut communiter invenitur in omnibus *vere* analogis, *proprie* et *formaliter* salvatis in omnibus analogatis" (In I, q. 13, art. 6, n. 4). Et iterum: "secundum veritatem haec nomina dicuntur analogice, id est, proportionaliter et prius de Deo quam de aliis; quia, cum in utrisque dicantur formaliter, formalitas tamen in Deo prior est, secundum rem, formalitate illa in aliis. Non tamen est sic prior, ut scilicet definiens est prius definito, sed est prior *ut causa exemplaris* est prior exemplato. Et propterea, sicut omnia exemplata sunt talia in ordine ad exemplar, sic omnes creaturae dicuntur tales, puta bonae, in ordine ad divinam bonitatem. Et sicut non oportet exemplata *significari* cum ordine ad exemplar, quamvis illud habeant, ita non oportet bonitatem creaturae *significari* in ordine ad bonitatem divinam, quamvis secundun *esse* illam semper respiciant ut exemplar. Verba igitur 5 art. et similia hic non sunt confutata, sed exposita, quod scilicet intelliguntur secundum *esse* et non secundum *significari*, nisi *fundamentaliter*, pro quanto rationes formales per ea significatae in creaturis *fundant* ordinem ad Deum ut causam" (ibid., n. 12). Cfr. etiam Ferrariensem in I *Contra Gent.*, cap. 34, edit. cit., t. I, p. 219 et 223. Bene ergo dicit Joannes a S. Thoma quod "sicut in analogia *metaphysice* attenditur in aequalitas ex parte *rerum*, ita in analogia *dialectice* considerata attenditur inaequalitas in modo *significandi et nominandi*" (*Cursus Philosoph. Logic.*, II p., q. 13, art. 4, edit. cit., t. I, p. 415 b).

Utrobique autem *duplex* esse potest: *aut* secundum *diversitatem* **finitam** seu *determinatam,* ut in exemplis citatis; *aut* secundum *diversitatem* **infinitam** *vel indeterminatam,* v. gr., ita se habet intellectus ad intelligibile sicut sensus ad sensibile (1), vel sicut ex materia et forma fit unum simpliciter, ita etiam fit unum ex intellectu et intelligibili (2); et tunc *demum aut* secundum diversitatem infinitam **syncategorematice,** ut in exemplis modo prolatis, *aut* secundum diversitatem infinitam **categorematice,** v. gr., sicut se habet intellectus noster ad suum intelligibile (ens concretum quidditati sensibili), ita se habet intellectus divinus ad suum (ipsum esse per se subsistens, esse abstractum abstractione formali) (3); vel in sensu *metaphorico* "sicut se habet *ignis* ad hoc quod liquefacta *effluere* facit per suum *calorem,* ita Deus per suam *bonitatem* perfectiones in omnes creaturas *diffundit*" (4). Et quidem in omni casu significationis **propriae** (5) potest intelligi *aut* secundum significationes *operationis* vel **dynamicas,** *aut* secundum significationes *rei* vel **staticas,** ut si dicam: ita se habet scientia divina ad res quandocumque existentes, sicut scientia artificis ad artificiata ejus (6).

β) Quod si **non omnia** analogata dicant rationem formalem simpliciter diversam, hoc non potest fieri nisi *duobus modis*: *aut* quod **unum** tantum dicat rationem formalem simpliciter diversam, *aut* quod **plura;** in primo casu habetur analogia *unius ad unum,* ut habitus dominicanus ad fratrem dominicanum; in altero vero, analogia *plurium ad plura,* v. gr., habitus dominicanus, ritus dominicanus, conventus dominicanus, schola dominicana ad fratrem dominicanum.

Sic ergo secundum *logicam* considerationem habetur divisio *formalis* completa analogiae:

---

(1) I *Topic.,* XV, 1 (I, 184, 33-34); III *de Anima,* IV, 3 (III, 467, 16-17). En verba PHILOSOPHI in hoc ultimo loco: ὥσπερ τὸ αἰσθητικὸν πρὸς τὰ αἰσθητά, οὕτω τὸν νοῦν πρὸς τὰ νοητά. Cfr. etiam S. THOMAM in h. l, lect. 7, edit., cit., p. 203-204 et *De Verit.,* q. 10, art. 8, obj. 8, et q. 19, art. 1, obj. 4.

(2) *Suppl.,* q. 92, art. 1 et *de Verit.,* q. 10, art. 8. Cfr. CAJETANUM in I, q. 12, art. 2, n. 15 et q. 14, art. 1, n. 4-5.

(3) *Suppl.,* q. 92, art. 1, ad 2.

(4) I *Sent.,* dist. 34, q. 3, art. 1 ad 2. Cfr. *de Pot.,* q. 7, art. 5.

(5) Nam analogia metaphorica sumi non potest nisi *dynamice,* ut mox ostendetur.

(6) Est classica comparatio in theologia thomistica: "sicut est *causalitas* artificis per artem suam, ita consideranda est *causalitas* divinae scientiae" (I *Sent.,* dist. 38, q. 1, art. 1); "sic enim scientia Dei se habet ad *omnes res creatas,* sicut scientia artificis se habet ad artificiata" (I, q. 14, art. 8).

Praedicatio FORMALIS SIMPLICITER DIVERSA INVENITUR *aut.*

- I) *in omnibus* analogatis = analogia *plurium ad plura*, et tunc *vel*..........
  - *A)* secundum significationem *propriam* sumptis = analogia *propria*, et quidem in hoc casu *aut*.................
    - α) secundum diversitatem *finitam*, vel...
      - 1) *in essendo*, v. gr......... $\frac{\text{quantitas}}{\text{suum esse}} = \frac{\text{qualitas.}}{\text{suum esse}}$
      - 2) *in agendo*, v. gr......... $\frac{\text{quantitas}}{\text{extensio substantiae}} = \frac{\text{qualitas.}}{\text{modificatio vel determinatio substantiae.}}$ (effectus *formalis* seu *proprius*)
    - β) secundum diversitatem, *infinitam*, vel.....................
      - a) *syncategorematice, aut*..........
        - 1) *in essendo*, v. gr......... $\frac{\text{homo}}{\text{suum esse}} = \frac{\text{intellectus humanus.}}{\text{suum esse}}$
        - 2) *in agendo*, v. gr......... $\frac{\text{homo}}{\text{generatio hominis (substantialis)}} = \frac{\text{intellectus humanus.}}{\text{generatio verbi mentalis (accidentalis).}}$
      - b) *categorematice, aut*..............
        - 1) *in essendo*, v. gr.............. $\frac{\text{Deus}}{\text{suum esse}} = \frac{\text{homo}}{\text{suum esse}}$
        - 2) *in agendo*. v. gr............. $\frac{\text{Deus}}{\text{generatio Verbi}} = \frac{\text{homo}}{\text{generatio humana}} = \frac{\text{intellectus.}}{\text{generatio verbi.}}$
  - *B)* secundum significationem *impropriam* acceptis = analogia *metaphorica*, et sic *vel*..........................
    - α) secundum diversitatem *finitam*, v. gr. $\frac{\text{tyranus}}{\text{crudelitas}} = \frac{\text{Nero}}{\text{crudelitas}}$
    - β) secundum diversitatem *infinitam, aut.*
      - a) *syncategorematice*, v. gr..... $\frac{\textit{oculus}}{\text{corpus}} = \frac{\text{intellectus.}}{\text{anima.}}$
      - b) *categorematice*, v. gr........... $\frac{\textit{oculus}\text{ limpidus}}{\text{claritas et certitudo}} = \frac{\text{intellectus divinus}}{\text{claritas et certitudo}}$
- II) *non in omnibus* analogatis, et sic *vel*......................
  - *A) in uno* tantum = analogia *unius ad unum, aut.*
    - α) secundum diversitatem *finitam*, v. gr., lorica ad militem.
    - β) secundum diversitatem *infinitam vel*..
      - a) *syncategorematice*, v. gr...... sensus humanus ad intellectum humanum.
      - b) *categorematice*, v. gr....... bonum creatum ad bonum increatum.
  - *B) in pluribus* = analogia *plurium ad unum, vel.*
    - α) secundum diversitatem *finitam*, v. gr. vestis militaris... currus militaris.. gladius militaris. ad militem.
    - β) secundum diversitatem *infinitam, aut*.......................
      - a) *syncategorematice*, v. gr..... valetudo.............. divitiae.............. sobrietas............ ad contemplationem *philosophicam.*
      - b) *categorematice*, v. gr....... solitudo.............. mortificatio......... valetudo............ ingenium........... ad contemplationem *mysticam.*

Porro animadverte divisionem istam esse adaequatam et immediatam. *Adaequata* quidem est, quia nullum aliud membrum fingi posset, nisi forte dicatur dari analogiam *unius ad plura,* quae tamen est *pura aequivocatio,* cum plura ut plura intelligibilia non sint. Unde patet quod *praedicatio* formalis simpliciter diversa *adaequate significat* relationem seu habitudinem, *aut* unius ad unum, *aut* plurium ad unum, *aut* plurium ad plura. *Immediata* vero, quia fit per sic et non seu per affirmationem et negationem, inter quas medium nec dari nec fingi potest.

Nota etiam quod *primum* et *secundum membrum principale* schematis *proportionaliter subdividuntur,* quia et proportionalia seu analoga sunt inter se, et consequenter *non eodem omnino modo* subdivisiones suscipiunt, et, si suscipiant, *non* tamen *secundum eamdem significationem.* Primum enim membrum subdividitur in significationem *propriam* et *metaphoricam,* non autem secundum; quia *analogia secundum metaphoram essentialiter postulat saltem quatuor terminos.* Quod si analogia secundum metaphoram et alia analogia secundi membri nonnullas similitudines sibi vindicent, hae tamen sunt secundum quid, et oriuntur ex eo quod ambae *analogice* conveniunt. Ergo nonnisi *per accidens* et quasi *in obliquo* et *materialiter* in una eademque re utraque praedicatio analoga reperitur, et sic radicitus excluduntur difficultates et divagationes quorumdam scholasticorum de hac re (1).

Utrumque tamen membrum *communiter* obtinet subdivisionem secundum *diversitatem distantiae,* quia haec formalitas convenit analogiae ut sic, et ideo semper ipsam comitatur, sub quacumque diversitate existat.

In analogia autem *metaphorica* distingui non potest significatio *entitativa* (*statica*) et *operativa* (*dynamica*); quia significatio *entitativa* non potest esse metaphorica, cum ens et ea quae ad ens ut sic consequuntur ab imperfectionibus abstrahant. Superest ergo ut *dynamice*

---

(1) A quibus non videtur omnino alienus ipse JOANNES A S. THOMA, qui loquitur de analogia *attributionis metaphoricae* (*Logic.*, I. p., q. 6, art. 2, edit. cit., t. I, p. 149 b) et de analogia attributionis *vel* metaphorae (*ibid.*, II p., q. 13, art. 2, p. 406 b), licet postea melius se exprimat dicendo analogiam attributionis seu proportionis et analogiam metaphoricam esse *valde affines* (ibid., art. 4, p. 412 b; Cfr. etiam art. 5, solvuntur obj., p. 421 b); identificatio enim analogiae metaphoricae et attributionis scotismum et suarezianismum redolet (Cfr. SCOTUM, *Super Praedicanmenta,* q. 4, t. I, p. 446 ab et 447 a; et SUÁREZ, *Dispp. Metaph.,* disp. 2, sect. 2, n. 24 et disp. 28, sect. 3, n. 11). Caeterum affinitatem illam expresse agnoscit et evolvit CAJETANUS (*De Nominum analogia,* cap. 7, p. 268-269 et in I, q. 13, art. 6, n. 4 in fine); Suarezium autem corripit JOANNES A S. THOMA (*loc. cit.,* p. 411-414). Etiam ARAUJO non recte se exprimit (*loc. cit.,* q. 2, art. 1, n. 3, p. 468, col. 2 D). Talem modum *cogitandi* vel saltem *loquendi* sapienter rejecit *Porphyrius* supra citatus. S. THOMAS quoque expresse docet distinctionem illam in II *Sent.*, dist. 16, q. 1, art. 2, ad 5, ut ex toto contextu apparet. Quod si contrarium legatur in opusculo *De Fallaciis,* cap. 4 (edit. cit., t. I, p. 199), non obstat, quia opusculum illud non constat esse authenticum (Cfr. MANDONNET, *Des écrits. authentiques de S. Thomas d'Aquin,* Fribourg, 1910, et GRABMANN, *Die echten Scriften des hl. Thomas von Aquin,* Münster i. W., 1921).

tantum sumantur (1), ut videre est in modo loquendi *S. Thomae* et *S. Augustini*. Sufficiat audire *Hipponensem*:

"Divinae, inquit, Scripturae a terreno et humano sensu ad divinum et coelestem nos erigentes, usque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam *affectionum* nomina quas animus noster *patitur*, quas longissime a Deo esse sejunctas jam qui melius sapit intelligit, non dubitaverunt illi viri per quos loquutus est Spiritus Sanctus, opportunissime in libris ponere. Ut v. gr., quoniam difficillimum est ut homo aliquid *vindicet* sine *ira*, vindictam Dei quae omnino sine perturbatione *fit*, *iram* tamen vocandam judicaverunt. Item quia conjugis castitatem *zelando* viri *custodire* consueverunt, illam Dei providentiam per quam *praecipitur* atque *agitur* ne anima corrumpatur et deos alienos sequens quodammodo meretricetur, *zelum Dei* appellaverunt. Sic et *manum Dei vim* qua *operatur;* et *pedes Dei, vim* qua in omnia *custodienda* et *gubernanda pertendit;* et *aures Dei* vel *oculos Dei, vim* qua omnia *percipit* atque *intelligit;* et *faciem Dei, vim* qua se *manifestat* atque *dignoscitur;* et caeterea in hunc modum, propterea scilicet quia nos, ad quos sermo fit, et *manibus* solemus *operari*, et *pedibus incedere*, et quo fert animus *pervenire*, et *auribus* atque *oculis* caeterisque sensibus corporis corporalia *percipere*, et *facie innotescere*, et si quid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam *mutare* certum aliquod et in aliud transferre non facile solemus, nisi *poenitendo*, quamquam divina providentia serena mente intuentibus apparet cuncta certissimo ordine administrare, *accommodatissime* tamen *ad humilem humanam intelligentiam* ea quae incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, *quasi per poenitentiam Dei* dicuntur ablata" (2).

Observa denique *formalitatem* istius divisionis; *praedicatum* enim dicitur in ordine ad *subjectum* vel ad id quod *loco subjecti* se tenet; loco autem subjecti se habet *terminus ad quem* quomodocumque praedicatum ordinatur; et quia terminus ille potest esse *unus* vel *multiplex*, ideo et *praedicatio* analoga significare potest diversitatem simpliciter *vel* ex parte *praedicati tantum cum identitate termini* praedicationis relativae, *vel simul* ex parte *praedicati* et ex parte *termini*, qui se habet loco *subjecti*. Major autem est diversitas in secundo casu quam in primo, et similiter in subdivisionibus secundi membri respectu subdivisionum primi, utpote proportionaliter consequentibus.

---

(1) Et inde est quod analogia metaphorica inter Deum et creaturam non habeat nisi valorem *practicum* tantum, ut recte —data ejus positione —tenet ED. LE ROY (*Dogme et Critique*, quatrième édit., Paris, Bloud, p. 31, 138-147 et alibi passim) post KANTIUM (*Prolegómenos a toda Metafisica*, tercera parte, § 57-58, trad. *Besteiro*, Madrid, Jorro, 1912, p. 177-182). Unde negare analogiam proportionalitatis propriae inter Deum et creaturam et admittere tantum analogiam attributionis ad metaphoram quodammodo reductae quemadmodum fecisse videntur Scotus et Suarezius, est *nimiam affinitatem* habere cum agnosticismo Kantiano et modernistico.

(2) *Liber 83 quaest.*, q. 52, edit. cit., t. IV, fol. 127, col. 4, et 128, col. 1.

B. DIVISIO ANALOGIAE SECUNDUM FORMALITATEM **stricte metaphysicam.**

Fundamentaliter vero considerando illam *diversitatem,* scilicet secundum **causas** vel **rationes** ejus, *dupliciter* itidem fieri posse intelligitur: *aut* secundum causas **extrinsecas,** ita nempe ut *ratio* analoga *intrinsece* tantum inveniatur *in uno,* in aliis vero *extrinsece* et *denominative, aut* secundum causas **intrinsecas,** ita quod *ratio* illa analoga *in omnibus* analogatis *intrinsece* reperiatur *suo modo.* Si primum, habetur analogia *attributionis;* sin alterum, obtinetur analogia *proportionalitatis* (1).

α) Quae dicuntur analoga analogia **attributionis** sunt illa *quorum nomen est commune et ratio significatia per nomen est* IN UNO *tantum* INTRINSECE *et formaliter, in aliis autem* EXTRINSECE *et denominative* AB *illo vel* AD *illud secundum rationem simpliciter diversam.* Ex quo sequitur quod in definitione aliorum analogorum debeat semper poni ratio primi seu summi analogati et quod nomen commune simpliciter prolatum stet pro illo, quia *autonomastice* dicitur tale, sicut in definitione theologiae dictae de libro et de schola et de domo et de bibliotheca et de collatione, ponitur semper theologia theologi, in quo formaliter invenitur.

Non desunt philosophi qui putant dari non posse analogiam per attributionem pure extrinsecam; alii, etiam ex nunc viventibus, dicunt S. Thomam minime docuisse analogiam istam, imo et nomen ejus ignorasse; primus enim assertor analogiae hujus autumant fuisse *Cajetanum* (2), quem postea thomistae caeco modo clausisque oculis sequuti sunt.

At eos multum animus fefellit; *Angelicus* enim utrumque docuit, et *nomen* et *rem* significatam per nomen.

Rem quidem, dum scribit:

"dicendum quod *dupliciter* denominatur aliquid *per respectum ad alterum. Uno modo* quando *ipse respectus* est *ratio* denominationis, sicut urina dicitur sana per respectum ad sanitatem animalis; *ratio* enim sani secundum quod de urina praedicatur est esse *signum* sanitatis animalis; et *in talibus,* quod denominatur per respectum ad alterum, *non denominatur ab aliqua*

---

(1) Videtur esse tautologica redundantia loqui de analogia attributionis seu proportionis et de analogia proportionalitatis; nam, si analogia est idem ac proportio, sensus loquutionis esset: proportio proportionis et proportionalitatis. Attamen *brevitatis* et *claritatis* gratia hujusmodi phrasis constructa est; quia enim proportio potest esse simplex et composita, ut supra dictum est, analogia dupliciter fieri potest; aut secundum proportionem *simplicem* (analogia attributionis —secundum attributionem— vel proportionis cfr. CAJETANUM, op. cit., cap. 2, p. 251) aut secundum proportionem *compositam* (analogia proportionalitatis = secundum proportionalitatem), et sic *reduplicatio nominis* in genitivo stat *loco particulae reduplicativae* "secundum, prout, in quantum, quatenus".

(2) *De Nominum analogia,* cap. 1, p. 249-250 et cap. 2, p. 251 sqs.

forma sibi inhaerente, sed ab aliquo EXTRINSECO *ad quod refertur. Alio modo* denominatur aliquid per respectum ad alterum, quando *respectus non est ratio* denominationis, sed *causa;* sicut si aër dicatur lucens a Sole, non quod *ipsum referri* aërem ad Solem sit lucere aëris, sed quia directa oppositio aëris ad Solem est causa quod luceat; et hoc modo creatura dicitur *bona* per respectum ad bonum (primum increatum)" (1), ut plenius explicat his verbis: "et sic *unumquodque* dicetur *bonum* sicut forma *inhaerente,* per simillitudinem Summi Boni *sibi inditam,* et ULTERIUS per Bonitatem Primam, sicut per *exemplar* et *effectivum* omnis bonitatis creatae... Sic ergo dicimus *secundum communem opinionem,* quod omnia sunt bona bonitate *creata formaliter* sicut forma *inhaerente* (denominatio seu attributio *intrinseca*), bonitate vero *increata* sicut forma *exemplari* (denominatio seu attributio *extrinseca*)" (2). Et addit: "verba sua (Augustini) sic sunt intelligenda, ut ipsa divina bonitas dicatur esse bonum omnis boni, in quantum est *causa efficiens* prima et *exemplaris* omnis boni, *sine hoc quod excludatur bonitas creata, qua* creaturae *denominantur* bonae sicut forma *inhaerente* (3)."

Ratio autem hujusce distinctionis in analogiam attributionis *purae* seu *extrinsecae tantum* (4) et *mixtae* seu extrinsecae et intrinsecae *simul* datur ab eodem *S. Thoma* (5) dum dicit transcendentia non posse suscipere puram denominationem extrinsecam sine intrinseca forma sibi inhaerente; unde et *denominant seipsa*: alia vero, quae transcendentia non sunt, sicut v. gr., sanitas, quae in genere qualitatis est, potest *ut sic* puram denominationem extrinsecam recipere; nec enim transcen-

---

(1) *De Verit.*, q. 21, art. 4, ad 2.

(2) *De Verit.*, loc. cit., in corpore, ad finem et *ibid.*, q. 1, art. 4, in fine.

(3) *Ibid.*, ad 3. Analogiam attributionis formaliter ita fieri admittunt etiam CONIMBRICENSES hisce verbis: "*communior opinio* est ad *veram* attributionem *solum exigi* ut secundum analogum accipiat formam a primo, *sive* per denominationem extrinsecam vel ut forma in solo principali analogato, *sive* per realem ejus communicationem cum dependentia tamen a primo; utroque enim modo servatur *essentialis respectus* ad principale analogum, *in quo posita est vera attributio.* Quod ut planius sit, animadvertendum est analoga attributionis esse *in duplici differentia*: quaedam *simul* habentia analogiam proportionis; alia in quibus est *nuda* analogia attributionis, quibus hoc est commune quod in habenda forma pendeant a principali, hoc vero peculiare quod in posterioribus respectus ad terminum *fundatur* in aliqua conditione *propria ipsorum analogatorum,* non autem in forma, quamvis denominatio analoga sumatur ex forma prout illis diversis modis respicitur, in prioribus vero fundatur in eadem forma, quae prout in uno est essentialis respectus ad aliud, praebet tamen per se denominationem, licet minus praecipuam et respectivam" (*loc. cit.*, art. 2, p. 238). Idem docet FONSECA in IV *Metph.*, cap. 2, q. 1, sect. 6, edit. Lugduni, 1597, t. I, p. 537 sqs.

(4) *Attributio* enim, cum sit *relatio rationis,* de se non postulat nisi *purum* respectum ad alterum, et tunc *formaliter* loquendo dicitur attributio *pura;* quod si *aliunde* termini attributi sub alia formalitate *intrinsece* participent formam supremi analogati cui attribuuntur, habetur *fundamentum* pro analogia proportionalitatis, et sic dicitur *mixta.* Unde divisio haec est *formaliter intelligenda,* utpote facta secundum ipsam *formam attributionis ut sic.* Caeterum, haec terminologia expresse adhibetur ab ARAUJO (*loc. cit.*, q. 2, art. 2, p. 449) et a CONIMBRICENSIBUS (*loc. cit.*, art. 2, p. 238).

(5) *De Verit.*, q. 21, art. 4, ad 4; I-II, q. 55, art. 4, ad 1; *de Pot.*, q. 9, art. 7, arg. 9 sed contra et resp. in fine totius articuli.

dentia et praedicamenta univoce conveniunt, sed analogice, ideoque analogiae ipsis correspondentes debent et analogicae esse, scilicet simpliciter diversae, saltem gratia materiae.

Nomen etiam docuit, dum loquitur de analogia secundum ***intentionem tantum*** (1), id est, secundum *purum respectum* seu *relationem;* intentio enim importat essentialiter respectum seu relationem, sicut omnia entia logicalia; quod si addatur adverbium "*tantum*", habetur relatio *pura,* respectus purus, *attributio pura,* quia attributio nihil est aliud quam *relatio attributi seu praedicati ad subjectum*: unde et *omnis praedicatio dicitur attributio* (2).

Nomen autem hoc *attributionis,* etiam loquendo de analogia, originem ducit praesertim ab *Averroë,* ut constat ex verbis ejus supra transcriptis et consulto a nobis sublineatis, a quo et *S. Thomas* et *Cajetanus* caeterique scholastici sumpserunt; erat enim *Commentator* **Aristotelis** per antonomasim et in omnium manibus versabatur. Unde et S. Doctor expresse verbum *attributionis* adhibet loquendo de analogia, ut patebit ex locis statim citandis. Quapropter manifestum est S. Thomam analogiam attributionis et agnovisse et admisisse.

Hujusmodi autem attributio *dupliciter* fieri potest: aut **ab** uno, aut **ad** unum; si **ab** uno, aut secundum causalitatem **efficientem,** aut secundum causalitatem **materialem** large sumptam pro **subjecto** —nam secus non esset extrinseca—; si **ad** unum, aut secundum causalitatem **finalem,** aut secundum causalitatem *formalem extrinsecam* seu **exemplarem.** Et quia *secunda analogata* possunt esse aut **unum** tantum aut **plura,** semper et in omni casu potest esse analogia aut *unius ab* uno vel *ad* unum, aut *plurium ab* uno vel *ad unum.*

Subdivisiones istae conceptis verbis traduntur etiam a S. Thoma. En ejus verba:

"Ponit enim *primo* (Aristoteles) (3) unum exemplum, quando *multa* comparantur **ad** unum sicut **ad finem,** sicut patet de hoc nomine sanativum et salubre (*sanitas* **enim est** *bonum* quoddam, et consequenter habet rationem *finis*). Sanativum enim non dicitur univoce de diaeta, medicina, urina et

---

(1) I *Sent.*, dist. 19, q. 5, art. 2, ad 1. Cfr. etiam, praeter loca statim citanda, IV *Polit.*, lect. 1, edit. Pian., fol. 58, col. 1-2.

(2) Cfr. *Quodlib.* 9, art. 3.

(3) **En verba** ***Philosophi***: τὸ δὲ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν, καὶ οὐχ ὁμωνύμως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ τὸ ὑγιεινὸν ἅπαν πρὸς ὑγίειαν, τὸ μὲν τῷ φυλάττειν, τὸ δὲ τῷ ποιεῖν, τὸ δὲ τῷ σημεῖον εἶναι τῆς ὑγιείας, τὸ δ' ὅτι δεκτικὸν αὐτῆς, καὶ τὸ ἰατρικὸν πρὸς ἰατρικήν (τὸ μὲν γὰρ τῷ ἔχειν ἰατρικὴν λέγεται ἰατρικόν, τὸ δὲ τῷ εὐφυὲς εἶναι πρὸς αὐτήν, τὸ δὲ τῷ ἔργον εἶναι τῆς ἰατρικῆς), ὁμοιοτρόπως δὲ καὶ ἄλλα ληψόμεθα λεγόμενα τούτοις· οὕτω δὲ καὶ τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς μέν, ἀλλ' ἅπαν πρὸς μίαν ἀρχήν. (III *Metaph.*, II, 1 (II, 500, 14-28). Similia exempla affert alibi, v. gr., in I *Topic.*, XI, 2 (I, 180, 12-13), XIII, 9-11 (I, 182, 29-54 et 183, 1-12); IV *Topic.*, I, 6 (I, 206, 32-35; 207, 10-15); IV, 2 (I, 211, 26-31).

animali. Nam *ratio sani,* secundum quod dicitur de *diaeta,* consistit in *conservando* sanitatem; secundum vero quod dicitur de *medicina,* in *faciendo* sanitatem; prout vero dicitur de *urina,* est *signum* sanitatis; secundum vero quod dicitur de *animali,* ratio ejus est quoniam est *receptivum* vel *susceptivum* sanitatis. Sic igitur omne sanativum vel sanum dicitur *ad* sanitatem *unam* et *eamdem;* eadem enim est sanitas quam animal *suscipit,* urina *significat,* medicina *facit* et diaeta *conservat.*

"*Secundo* ponit exemplum quando *multa* comparantur **ad** unum sicut ad *principium* **efficiens.** Aliquid enim dicitur *medicativum,* ut *qui habet artem* medicinae, sicut medicus peritus; aliquid vero, quia est *bene aptum ad habendum artem* medicinae, sicut homines qui sunt *dispositi* ut *de facili* artem medicinae acquirant, ex quo contingit quod *ingenio proprio* quaedam medicinalia operantur; aliquid vero dicitur medicativum vel medicinale, quia *eo opus est* ad medicinam, sicut *instrumenta* quibus medici utuntur medicinalia dici possunt, et *etiam medicinae* quibus medici *utuntur* ad sanandum. Et similiter possunt accipi alia quae *multipliciter* dicuntur, sicut et ista (1).

"Medicabile dicitur de diversis particularibus per respectum ad unum et idem, non tamen significat unum et idem de omnibus de quibus dicitur, nec etiam dicitur aequivoce; dicitur enim *corpus* medicabile, quia est *subjectum* medicinae; et *opus* medicabile, quia *exercetur* a medicina ut *purgatio;* et *vas* (instrumentum) medicinale, quia *eo utitur* medicina, ut clyster. Et sic patet quod non dicitur omnino aequivoce medicinale de his tribus, cum in aequivocis non habeatur respectus *ad aliquod unum.* Nec iterum univoce dicitur secundum unam rationem; non enim est eadem ratio secundum quam dicitur medicinale id *quo utitur* medicina et *quod facit* medicina, sed dicitur *analogice per respectum ad unum,* scilicet ad medicinam (2).

---

(1) IV *Metaph.,* lect. 1, n. 537-538.

(2) VII *Metaph.,* lect. 4, n. 1337. Audiatur etiam expositio B. ALBERTI MAGNI, quae, ob singularem profunditatem, digna est ut integra transcribatur: "dicendum secundum Philosophum quod *in omnibus per analogiam dictis semper supponitur unum quod per se et primo dicitur illud quod est analogicum,* et postea secundum proportionem ad rationem illius accipiuntur omnes alii modi; v. gr., sanum dicitur secundum analogiam de animali et urina et cibo et medicina. Supponitur ergo sanum proprie et primo et per se dici de animali, in aliis autem omnibus *secundum proportionem ad illud;* unde sanum quod est in animali idem est quodammodo quod sanum quod est in urina et in cibo et in aliis; sed est in animali ut forma aequalitatis humorum, in urina autem ut indicativa non quidem esse in urina, sed esse in animali cujus est urina. Ecce *idem numero* est sanum quod est in animali et urina, et sic est de aliis; sed hoc verum est quod proportio ista analogiae diversificatur ex parte proportionatorum *ad illud unum,* quia ratio indicantis in urina et ratio conservantis in cibo et ratio facientis in medicina non sunt ratio una, sed comparantur *ad unam* numero, et ideo in illo uniuntur et *denominantur ab illo* eo quod illud est *finis.* Et idem est in omnibus aliis analogice dictis, licet in quibusdam minus appareat" (I *Sent.,* dist. 46 N., art. 12, t. XXVI, p. 445).

Et alibi: "Hoc videmus in analogia communitatis dictae *secundum causam finalem.* Sic enim dicitur salubre multis modis diversis *ad unum* quod est sanitas et *finis* omnium salubrium; hoc enim dicitur salubre sive sanum ut conservans sanitatem sicut exercitium, aliud autem salubre sive sanum diverso modo dicitur a conservante sicut in actione sua sanitatem faciens sicut potio sive pharmacia humorem putridum ex-

"Et sicut est de praedictis, ita et ens multipliciter dicitur; sed tamen omne ens dicitur *per respectum ad unum primum*. Sed hoc primum non est *finis* vel *efficiens*, sicut in praemissis exemplis, sed **subjectum** (causa **quasi-materialis)**; *alia* enim dicuntur *entia* vel esse, quia *per se habent* esse, sicut *substantiae*, quae *principaliter* et *prius* dicuntur entia; *alia* vero, quia sunt *passiones* sive *proprietates substantiae*, sicut *per se accidentia* uniuscujusque substantiae; *quaedam* autem dicuntur entia, quia sunt *via ad substantiam*, sicut generationes et motus; *alia* autem entia dicuntur, quia sunt *corruptiones substantiae* —corruptio enim est via ad non esse, sicut generatio via ad formam, convenienter ipsae etiam *privationes* formarum *substantialium* esse dicuntur—; et iterum *qualitates* vel *accidentia* quaedam dicuntur *entia*, quia sunt *activa* vel *generativa* substantiae, vel eorum quae secundum aliquam habitudinum praedictarum ad substantiam dicuntur, vel secundum quamcumque aliam; item *negationes* eorum quae ad *substantiam* habitudinem habent, vel etiam ipsius substantiae, *esse* dicuntur: unde dicimus quod non-ens *est* non-ens, quod non diceretur nisi negationi *aliquo modo* esse competeret (1).

"*Analogice* dicitur praedicari quod praedicatur de pluribus quorum rationes et definitiones sunt diversae, sed **attribuuntur** *uni alicui eidem*, sicut *sanum* dicitur de *corpore* animalis et de *urina* et de *potione*, sed non ex toto idem significat in omnibus tribus; dicitur enim de *urina* ut de *signo* sanitatis, de *corpore* ut de *subjecto*, de *potione* ut de *causa*, sed tamen *omnes* istae rationes *attribuuntur uni* **fini**, scilicet sanitati.

"*Aliquando* enim ea quae conveniunt secundum analogiam et proportionem et comparationem *attribuuntur uni* **fini** (secundum causalitatem *fina-*

---

pellens, aliud autem salubre sive sanum dicitur tertio modo a dictis duobus sicut signum sanitatis sicut pulsus vel urina vel cretici dies laudabiles, quartum autem salubre sive sanum dicitur sicut susceptibili sanitatis de facili, sicut corpus mundum ab humoribus malis. Et cum diversi sint modi quibus ista sana dicuntur, est tamen unica natura sanitatis ad quam sicut *ad finem* omnia sana dicuntur et *a qua* sani accipiunt nomen.

Hujus autem adhuc simile exemplum est in communitate analogiae *causae efficientis* dictum, et est communitas qua multa dicimus esse medicinalia per comparationem *ad unam eamdemque medicinam*. Dicitur enim hic medicus medicinalis in habendo facultatem medicinae secundum habitum regentem actum medicae actionis; aliud autem dicitur medicinale in existendo subtile secundum industriam ad medicinam, sicut vetula sine arte operans; aliud autem dicitur medicinale quia facit actum conferentem medicinae, ut clyster vel syringa. Et cum omnes isti modi sint diversi, tamen una est ars medicinae secundum naturam et nomen et rationem *ad quam* omnia ista modis diversis dependent et *a qua* accipiunt nomen medicinalis.

Similiter autem multa alia sumemus ad similitudinem istorum multipliciter secundum analogiam dicta, de quibus in V hujus Sapientiae libro determinabimus...

Ita etiam multipliciter ad *unum subjectum* omnium, sicut superius dictum est, ens multipliciter dicitur de multis, quae omnia dependent *ad unum ens*, quod est verum ens et *subjectum unicum* omnium et accipiunt nomen *ab ipso*, et ideo talis dicti multipliciter ratio refertur *ad principium unum;* quaedam enim dicuntur entia quae sunt substantiae, quaedam vero ad substantiam dependentia, quaedam sicut passiones substantiae, quaedam autem sicut viae in substantiam, sicut generatio quae est substantiae actus potentiae permixtus, aut sicut corruptiones quae sunt via in non esse in qua esse substantiae continue abjicitur..." (IV *Metaph.*, tract. I, cap. 3, t. VI, p. 206-207). Cfr. etiam I *Sent.*, dist. 8 A, art. 7, ad 3, t. XXV, p. 229 a.

(1) IV *Metaph.*, lect. 1, n. 539. Cfr. etiam *De Verit.*, q. 2, art. 11, ad 5.

lem), sicut patuit in praedicto exemplo sanitatis; *aliquando, uni* **agenti (secundum** causalitatem *efficientem*), sicut medicus dicitur de eo qui operatur sine arte, ut vetula, et etiam de *instrumentis*, sed *per attributionem* ad genus, quod est medicina; *aliquando* autem *per attributionem ad unum* **subjectum** (secundum causalitatem *quasi-materialem*), ut ens dicitur de substantia, quantitate, qualitate et aliis praedicamentis; non enim ex toto est eadem ratio qua substantia est ens, et qualitas et omnia alia. Sed omnia dicuntur ens ex eo quod *attribuuntur substantiae*, quae est aliorum *subjectum;* et ideo ens dicitur *per prius* de substantia et *per posterius* de aliis; et ideo ens non est genus substantiae et aliorum praedicamentorum, quia nullum genus praedicatur secundum prius et posterius de suis speciebus, sed ens praedicatur analogice; et hoc est quod dicimus quod substantia et quantitas differunt genere, sed sunt idem secundum analogiam" (1).

Admittit etiam expresse S. Doctor analogiam attributionis secundum causalitatem *formalem extrinsecam* seu **exemplarem,** ut constat ex verbis ejus supra citatis et alibi passim, specialiter in hoc textu:

"in his autem quae *ad imitationem alterius* producuntur, *quandoque* id quod alterum imitatur *perfecte* imitatur ipsum, et tunc intellectus operantis, praeconcipiens formam operati, habet ut ideam ipsam formam rei imitatae prout est illius rei imitatae; *quandoque* vero id quod est *ad imitationem* alterius *non perfecte* imitatur illud, et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatae absolute ut ideam vel exemplar rei operandae, sed *cum proportione determinata*, secundum quam exemplatum a principali exemplari *deficeret* vel *imitaretur*.

"Dico ergo, quod Deus per intellectum omnia operans, omnia *ad similitudinem essentiae suae* producit; unde essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatae *non perfecte imitantur* divinam essentiam; unde essentia *non* accipitur *absolute* ab intellectu divino ut idea rerum; *sed cum proportione creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam*, secundum quod *deficit ab ea* vel *imitatur* eam. *Diversae autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera;* et ideo ipsa divina essentia, *cointellectis* DIVERSIS PROPORTIONIBUS *rerum* AD *eam est idea unius cujusque rei*. Unde, cum sint *diversae rerum proportiones*, necesse est esse plures ideas; et est quidem UNA *ex parte essentiae*, sed PLURALITAS invenitur *ex parte diversarum proportionum creaturarum* AD IPSAM (2)."

Et postmodum:

"dicendum, inquit, quod UNA PRIMA FORMA, AD QUAM OMNIA REDUCUNTUR, est ipsa divina essentia secundum se considerata; ex cu-

---

(1) *Opúsc. De Principiis naturae*, circa finem. Edit. Desclée, 1913, t. I, p. 388.
(2) *De Verit.*, q. 3, art. 2.

jus consideratione divinus intellectus adinvenit, ut ita dicam, DIVERSOS MODOS imitationis ipsius, in quibus PLURALITAS idearum consistit" (1).

Tandem utramque analogiam et attributionis et **proportionalitatis** complectitur simul his verbis (2):

"Aliquid dici de multis secundum diversas rationes contingit *dupliciter*: *uno modo* secundum rationes *omnino diversas non habentes respectum* **ad unum**, et ista dicuntur aequivoca *a casu*, quia scilicet *casu* accidit quod unum nomen unus homo imposuit uni rei et alius alii rei, ut praecipue pa-

---

(1) *Ibid.*, ad 2.

(2) Aliis verbis eamdem tradit divisionem in I *Sent.*, dist. 19, q. 5, art. 2, ad 1, scribens: "aliquid dicitur secundum analogiam *tripliciter*; vel *secundum intentionem tantum et non secundum esse*, et hoc est quando *una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno*, sicut intentio sanitatis refertur ad animal urinam et diaetam diversimode secundum prius et posterius, non tamen secundum diversum *esse*, quia *esse* sanitatis non est nisi in animali; vel *secundum esse et non secundum intentionem*, et hoc contingit quando *plura parificantur in intentione alicujus communis*, sed illud commune non habet *esse* unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis; unde *logicus*, qui considerat *intentiones tantum*, dicit hoc nomen corpus de omnibus corporibus univoce praedicari, sed esse hujus naturae non est ejusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus; unde quantum ad *metaphysicum* et *naturalem* (*physicum*), qui considerant res secundum suum *esse*, nec hoc nomen *corpus nec aliquid aliud* dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus, ut patet X *Metaph.*, ex Philosopho et Commentatore: vel *secundum intentionem et secundum esse*, et hoc est quando *neque* parificatur in *intentione* communi *neque* in *esse*, sicut ens dicitur de substantia et accidente, et de talibus oportet quod natura communis habeat *aliquod esse* IN UNOQUOQUE *eorum de quibus dicitur*, sed differens secundum rationem majoris vel minoris perfectionis. Et *similiter* dico quod veritas et bonitas et *omnia hujusmodi* dicuntur analogice de Deo et de creaturis. Unde oportet quod secundum suum *esse* omnia haec in Deo sint, et in creaturis secundum rationem majoris perfectionis et minoris, ex quo sequitur, cum non possint *esse* secundum unum *esse* utrobique, quod sint diversae veritates". Quamvis autem analogia secundum esse tantum seu inaequalitatis a scholasticis posterioris aetatis negligi soleat, Aristoteles tamen et S. Thomas ea saepe usi sunt; et merito, quia metaphysicus et theologus, qui *esse* rerum considerant, attente inspicere debent *gradus et ordinem essendi* eorum quae *sunt*. Et hoc modo S. Doctor ponit analogiam inter substantias corruptibiles seu physicas et angelos, qui sunt substantiae incorruptibiles et metaphysicae. Unde licet exemplum Aristotelis de analogia inter corpus corruptibile et incorruptibile falsum sit, extensionem tamen quam Angelicus facit ad res corporeas quascumque et ad res spirituales, quales sunt angeli, vera est et a theologo retinenda, ne velit tractatum de Angelis in Logicam et non in S. Theologiam resolvere.

Cfr. S. THOMAM VII *Physic.*, lect. 8, n. 8; X *Metaph.*, lect. 12, n. 2142; I, q. 66, art. 2 corp. et ad 2; q. 88, art. 2, ad 4; *de Spirit, creat.*, art. 3, ad 16; *de Anima*, art. 14, ad 2 et 5; I *Sent.*, dist. 35, q. 1, art. 4, ad 3 et 5; II *Sent.*, dist. 3, q. 1, art. 1, ad 2; dist. 12, q. 1, art. 1, ad 1; *de natura generis*, cap. 6, edit. Deselée, 1913, t. I, p. 295-296 (inter opuscula dubia S. Thomae) et alibi passim.

Imo, si profundius res consideretur, analogia haec corruptibilium et incorruptibilium *ad alios duos modos analogiae reduci potest*, specialiter ad analogiam *secundum intentionem et secundum esse*, quia corruptibile et incorruptibile *sunt differentiae entis in quantum ens*, ut ostendit S. Doctor dicens: "corruptibile et incorruptibile dividunt *per se* ens, quia corruptibile est quod potest *non esse*, incorruptibile autem quod *non potest non esse*. Unde *cum ens non sit genus*, non mirum si corruptibile et incorruptibile *non conveniant in aliquo uno genere*" (X *Metaphysic.*, lect. 12, n. 2145).

tet in diversis hominibus uno nomine nominatis. *Alio modo* unum nomen dicitur de multis secundum rationes diversas, non tamen totaliter, sed *in aliquo* UNO convenientes; *quandoque* quidem in hoc *referuntur ad unum* **principium** (secundum causalitatem *efficientem*), sicut res aliqua dicitur *militaris* vel quia est *instrumentum* militis, sicut *gladius*, vel quia est *tegumentum* ejus, sicut *lorica*, vel quia est *vehiculum* ejus, sicut *equus; quandoque* vero in hoc quod *referuntur ad unum* **finem** (secundum causalitatem *finalem*), sicut *medicina* dicitur *sana* eo quod est *factiva* sanitatis, *diaeta* vero eo quod est *conservativa* sanitatis, *urina* vero eo quod est sanitatis *significativa; quandoque* secundum PROPORTIONES DIVERSAS AD IDEM SUBJECTUM (secundum causalitatem *materialem*), sicut *qualitas* dicitur esse ens, quia est *dispositio* per se entis, id est *substantiae*, *quantitas* vero eo quod est *mensura* ejusdem et sic de aliis; *vel* secundum *unam proportionem* **ad diversa subjecta** (secundum causalitatem *formalem intrinsecam*); eamdem enim habent proportionem visus quoad corpus et intellectus quoad animam. Unde, sicut visus est potentia organi corporalis, ita etiam intellectus est potentia animae absque participatione corporis.

"Sic ergo dicit quod bonum dicitur de multis, non secundum rationes penitus differentes, sicut accidit in his quae sunt *a casu* aequivoca, sed magis secundum analogiam, id est, proportionem eamdem, in quantum omnia bona dependent **ab** *uno bonitatis principio* (secundum causalitatem *efficientem* vel *exemplarem*) (1), *vel* in quantum ordinantur **ad** *unum finem* (secundum causalitatem *finalem*); non enim voluit Aristoteles quod illud bonum separatum sit (tantum) idea et ratio omnium bonorum (sicut Plato dicebat); sed *principium et finis. Vel etiam* dicuntur omnia bona *magis* (seu *potius*) secundum analogiam, id est, proportionem eamdem, sicut visus est bonum corporis et intellectus est bonum animae. Ideo *hunc tertium modum praefert*, quia accipitur secundum bonitatem *inhaerentem rebus* (*intrinsece*); *primi* autem *duo modi* secundum bonitatem *separatam* (*extrinsece*), a qua *non ita proprie aliquid denominatur*" (2).

Doctrina haec de partitionibus analogiae attributionis, jam ante S. Thomam —licet non tam clare et profunde— tradita est ab *Averroë* supra citato et a *B. Alberto Magno* (3), et post tantos duces, communis inter

---

(1) Cfr. textum supra cit. ex *De Verit.*, q. 21, art. 4.

(2) I *Ethic.*, lect. 7.

(3) Recole verba ejus supra transcripta. Addit tamen aliqua verba quae difficultatem quamdam apparentem ingerunt. Dicit enim: "Simile vero istorum multipliciter dictorum *ad unam formam* et *ad unam materiam* dictorum *non est possibile invenire;* quia multa respicientia unum secundum formam sunt univoca; eorum autem quorum est una materia est transmutatio ad invicem; si autem non transmutantur ad invicem, non est eorum materia genere una. Quando autem est una materia secundum genus multorum, haec non tota est in aliquo ipsorum; et ideo sicut ad unum ad materiam unam multa non dicuntur. Multipliciter igitur dicta *ad unum* sunt *secundum finem* et *efficientem causam*" (V *Metaph.*, tract. I, cap. 3, p. 207 a).

Sed haec non obstant; nam verum est analogiam attributionis fieri non posse secundum causam *formalem* et *materialem stricte* et *proprie dictas;* sed nos defendimus

vere peripateticos evasit, quemadmodum videre est in *Cajetano* (1), *Soto* (2), *Báñez* (3), *Toleto* (4), *Conimbricensibus* (5), *Mas* (6), *Araujo* (7), *Nazario* (8), *Joanne a S. Thoma* (9), *Aguirre* (10), et aliis; sed a modernis scholasticis haec ignorari vel contemni videntur, cum tamen maximi momenti doctrina sit, ut ex ejus applicationibus suo tempore manifestum fiet.

* * *

β) Quae vero dicuntur analoga *secundo modo,* scilicet analogia *proportionalitatis,* definiuntur: *ea quorum nomen est commune et ratio significata per nomen, in omnibus* INTRINSECE *inventa, est simpliciter diversa et secundum quid, id est, proportionaliter eadem seu similis secundum proportionem.* Unde *qualitercumque* sumatur et exprimatur *proportionalitas,* dummodo *intrinsece* reperiatur in terminis proportionalibus, vera erit analogia de qua loquimur. "Potest enim sic accipi proportio (proportionum), ut dicamus quod sicut hoc est *in* hoc, ita hoc *in* hoc; utputa sicut visus est *in* oculo, ita auditus *in* aure. Et per hunc modum proportionis accipitur comparatio substantiae, id est, formae ad

---

fieri secundum causam *formalem extrinsecam* (*improprie* dictam) et secundum *subjectum* (causam *materialem improprie dictam*), et hoc non negatur a B. Alberto Magno, sed expresse adseritur, ut supra vidimus.

(1) Ita enim scribit: "*Quadrupliciter* autem fieri potest hujusmodi analogia *secundum quatuor genera causarum,* vocando pro nunc causam *exemplarem,* causam *formalem.* Contingit siquidem multa *ad* unum *finem* et ad unum *efficiens* et ad unum *exemplar* et ad unum *subjectum* secundum aliquam unam denominationem, attributionem diversimode habere, *ut patet ex exemplis ipsius Aristotelis.* Ad causam enim *finalem* pertinet exemplum *de sano in IV Metaph.;* ad *efficientem* vero exemplum de *medicinali ibidem positum;* ad *materialem* autem analogia *entis ibidem* subjuncta; ad *exemplarem* demum analogia *boni* posita in *I Ethic.,* cap. 7" (*De Nominum Analogia,* cap. 2, p. 251). Et postea addit quod *Aristoteles* "in *Metaphysica,* nomina quae dicimus analoga per attributionem, *ex* uno vel *ad* unum vel *in* uno vocat, ut patet in principio IV et in VII" (cap. 3, p. 255-256).

(2) *Op. cit. in Praedicament.,* cap. 1, fol. 53.

(3) In I, q. 13, art. 6, edit. cit., col. 292 F.

(4) *Op. cit.,* fol. 45, col. 1-2.

(5) *Op. cit.,* p. 232.

(6) *Op. cit.,* sect. 1, part. 1, p. 547.

(7) *Op. cit.,* p. 440, col. 2, n. 6.

(8) Dicit enim: "Analogia attributionis, quae proprie dici potest ordo diversus plurium *ad* unum, *ex* uno aut *in* uno, a quo *extrinsece* denominantur" (*Dispp. et comment. scholast. in Summam D. Thomae Aq.,* Bononiae, 1621. In I, q. 13, art. 5, controvers. unic.).

(9) *Cursus theol. De Sacrament.,* q. 60, art. 1, n. 6, edit. Vives, t. IX, p. 5.

(10) *Op. cit.,* n. 17. Et paulo antea dixerat (n. 16): "praedicta analogia dicitur *attributionis* quoniam in ea minus principalia analogata *attribuuntur principaliori ab eoque denominationem accipiunt.* Praeterea dicitur *proportionis* prout distinguitur ab analogia proportionalitatis... quae exigit quatuor terminos, cum tamen quae proportionis est *duos* tantum petat. Dici etiam solet *ab* uno vel *ad* unum, quoniam minus principalia analogata *interdum* procedunt *ab uno* tamquam *ab efficiente,* nimirum a principali analogato, *interdum vero* ordinantur *ad illud* tamquam ad *finem.*"

materiam, nam forma *in* materia dicitur esse. *Alius modus* proportionis est ut dicamus quod sicut habet se hoc *ad* hoc, ita hoc *ad* hoc; puta sicut se habet visus *ad* videndum, ita auditus *ad* audiendum. Et per hunc modum proportionis accipitur comparatio motus *ad* potentiam motivam vel cujuscumque operationis *ad* potentiam operativam" (1). Item *alius modus proportionis* est ut dicamus quod sicut hoc est *ab* hoc, ita hoc *ab* hoc, v. gr., sicut sensatio est *a* sensu ita intellectio *ab* intellectu et volitio *a* voluntate, et universaliter actio *ab* agente et operatio *ab* operante; unde S. Doctor dicit quod "sicut *in* nostro intellectu seipsam intelligente invenitur quoddam verbum progrediens, ejus *a* quo progrediditur similitudinem gerens, ita et *in* divinis invenitur verbum, similitudinem ejus *a* quo progreditur habens" (2) vel "sicut *verbum* conceptum in mente artificis *per prius* intelligitur procedere *ab* artifice quam *artificiatum* quod producitur ad similitudinem verbi concepti in mente, ita *per prius* procedit Filius *a* Patre quam creatura, de qua nomen filiationis dicitur secundum quod aliquid participat de similitudine Filii vel Patris" (3), vel sicut *a* voluntate animae per motionem membrorum traducitur peccatum *actuale* ad membra corporis, ita *ex* peccato primi parentis traducitur *culpa originalis* in posteros per motionem generationis (4), et "sicut peccatum *actuale,* quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri nisi in quantum illud membrum est *aliquid ipsius hominis,* propter quod vocatur peccatum *humanum;* ita peccatum *originale* non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam *a* primo parente; unde et vocatur peccatum *naturae*" (5).

Haec autem ratio analoga *intrinsece* inventa in omnibus analogatis, *dupliciter* esse et intelligi potest; *aut* quod **formaliter** et secundum *propriam* significationem reperiatur in omnibus terminis proportionalibus UTRIUSQUE *proportionis,* et tunc dicitur analogia *proportionalitatis* **propriae,** ut si dicam: sicut *sensus proprius* non fallitur circa *sensibile proprium,* ita nec *intellectus* circa *proprium intelligibile* (6); *aut* quod

---

(1) IX *Metaph.*, lect. 5, n. 1828-1829. Quae divisio conceptis verbis traditur ab *Aristotele* in *I Topic.*, XV, 1-2 (I, 184, 31-36).

(2) *De Pot.*, q. 6, art. 1.

(3) I, q. 33, art. 3, ad 1.

(4) I-II, q. 81, art. 3.

(5) *Ibid.*, art. 1.

(6) III *de Anima,* lect. 11, edit. cit., p. 227, et I, q. 17, art. 3, ubi sic evolvit profundissime analogiam illam: "SICUT *res habet esse* per *propriam formam,* ITA *virtus cognoscitiva* habet *cognoscere* per *similitudinem rei cognitae.* Unde, SICUT *res naturalis non deficit ab esse,* quod *sibi competit secundum suam formam,* potest autem *deficere* ab aliquibus *accidentibus* vel *consequentibus,* sicut homo ab hoc quod est habere duos pedes, non autem ab hoc quod est esse hominem, ITA virtus *cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei cujus similitudine informatur,*

formaliter et secundum *propriam* significationem inveniatur in terminis proportionalibus ALTERUTRIUS proportionis *tantum*, ita sane ut in terminis unius proportionis reperiatur **virtualiter** et secundum significationem *impropriam* et *translatam*, et in hoc casu dicitur analogia *proportionalitates* **metaphoricae**, v. gr., sicut se habet volatus aquilae ad volatum caeterarum avium, ita se habet speculatio maximi ingenii (S. Augustini aut S. Thomae) ad speculationem rudium hominum: nam sicut aliae aves fere nihil a terra elevantur, aquila autem ad altissimas regiones evehitur, ita hebetes ingenio fere nihil a sensibilibus abstrahunt, magna autem ingenia (metaphysici) ab omni materia, etiam intelligibili, abstrahunt et altissima principia considerant.

Et ne turberis tu, thomista, quando audis vel legis terminos istos *formaliter, virtualiter,* in praesenti materia; scias enim quod perfectiones rerum corporalium et quorumcumque materiam habentium *eminenter* quidem, sed *virtualiter tantum,* sunt in Deo, licet *formaliter* et *proprie* cum suis imperfectionibus admixtis sint in rebus illis. Jam autem analogiam, quae inter hujusmodi et Deum intercedit, *metaphoricam* esse, docet expresse S. Thomas (1). Unde *theologica* est et *metaphysicalis* expressio illa, et idcirco *formalis* et *formaliter intelligenda in subjecta materia;* agimus enim de divisione analogiae *secundum formalitatem stricte metaphysicam.*

Et quod dicitur de Deo et creaturis corporalibus, *analogice extendi potest* ad ipsas creaturas inter se; virtualiter enim et eminenter homo continet ingenio suo aliisque perfectionibus sibi propriis volatum aqui-

---

potest autem *deficere* circa aliquid *consequens* ad ipsam vel *accidens* ei; sicut dictum est (art. 2) quod *visus* non decipitur circa *sensibile proprium,* sed circa sensibilia *communia* quae *consequenter* se habent ad illud et circa sensibilia *per accidens.* SICUT autem *sensus* INFORMATUR DIRECTE SIMILITUDINE PROPRIORUM *sensibilium,* ITA *intellectus* INFORMATUR SIMILITUDINE QUIDDITATIS REI. Unde circa quod quid est intellectus non decipitur, SICUT neque sensus circa sensibilia propria; in componendo vero vel dividendo potest decipi, dum attribuit rei cujus quidditatem intelligit aliquid quod eam *non consequitur* vel quod ei *opponitur.* SIC enim se habet *intellectus* ad judicandum *de hujusmode,* SICUT *sensus* ad judicandum de sensibilibus *communibus* vel *per accidens.*"

(1) Pluribus in locis, v. gr., in I, q. 13, art. 3, ad 1, quando scribit: "*quaedam* nomina significant hujusmodi perfectiones a Deo procedentes in res creatas hoc modo, quod *ipse modus imperfectus* quo a creatura participatur divina perfectio *in ipso nominis significato includitur,* sicut *lapis* significat aliquid *materialiter* ens, et hujusmodi nomina non possunt attribui Deo nisi *metaphorice; quaedam* vero nomina significant ipsas perfectiones *absolute,* absque hoc quod aliquis modus participandi claudatur in eorum significatione, ut *ens, bonum, vivens* et *hujusmodi,* et talia *proprie* dicuntur de Deo". Cfr. etiam ibid. ad 3. Verum, ut etiam ipsimet protervi convincantur me ex mea phantasia nova non cudere, legant S. Thomam pro eodem sumentem "*virtualiter* et *per modum effectus*" (*De Malo,* q. 4, art. 2, corp. circa medium), simulque docentem aliquid dici "*metaphorice* propter *similitudinem operationis*" (*De Malo,* q. 16, art. 1, ad 3) et "propter *effectum* similem" (*De Verit.*, q. 2, art. 1, corp. circa medium). Unde thomistica est denominatio haec.

lae, audaciam leonis, calliditatem vulpis, rabiem canis, saevitiam tigridis. Et merito quidem, quia analogia secundum *metaphoram*, ut supra ostendimus, sumitur *dynamice* tantum, et ideo requiritur et *sufficit* habere *virtutem producendi effectus similes* effectibus *propriis* alterius rei (1).

Utrobique autem *diversitas* formae illius *intrinsece* in *omnibus* inventae potest esse *aut* mensurata seu determinata et finita, *aut* indeterminata seu infinita *sive* categorematice *sive* syncategorematice; et quidem, in omni casu, *aut* statice et dynamice *simul*, si agatur de proportionalitate propria, *aut* dynamice *tantum*, si de metaphorica sermo fiat.

Ratio istarum subdivisionum ex supra dictis luculenter apparet; quia formalitas metaphysica, secundum quam in praesenti sumuntur, analoga est ad formalitates supra consideratas, in quibus similes divisiones comperiebantur: et insuper quia, posita *forma* analoga, qualis est *natura* analogiae proportionalitatis, necesse est ponere et consequentia formae illius secundum modum quo posita est; cum igitur divisiones analogiae proportionalitatis sequantur ad naturam ejus, oportet quod et *subdivisiones metaphysicae* consequantur *ad notionem metaphysicam* ipsius.

En ergo schematica divisio analogiae secundum hanc formalitatem:

---

(1) Quia enim unumquodque nominatur et *significatur* a nobis secundum quod ipsum cognoscimus, significativo *propria, primaria* et *formalis* debet esse rei quae *primo* intelligitur; hujusmodi autem est *forma* vel *essentia* rei, quae est *proprium* objectum intellectus. Cfr. *De Pot.*, q. 7, art. 5, ad 8.

RATIO *simpliciter diversa* AUT *invenitur seu* EST.

- I) INTRINSECE *in omnibus analogatis* = analogia secundum causam *formalem intrinsecam*, seu *proportionalitatis*: ὡς ἕτερον πρὸς ἕτερόν τι, οὕτως ἄλλο πρὸς ἄλλο... καὶ ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τινί, οὕτως ἄλλο ἐν ἄλλῳ (I *Topic.*, XV, 1-2 (1, 184, 33-35); I *Ethic. Nic.*, VI, 12 (II, 5, 16-17); IV *Metaph.*, VI, 15 (II, 520, 34). At vero ratio illa *est vel*.....................
  - A) *formaliter in utraque proportione* = analogia proportionalitatis *propriae; diversitas* autem inter illas proportiones *aut est*........
    - α) *determinata* seu *finita*, et tunc vel....
      - a) *statice*, v. gr., $\frac{\text{visus}}{\textit{in}\text{ oculo}} = \frac{\text{auditus.}}{\textit{in}\text{ aure.}}$
      - b) *dynamice*, v. gr., $\frac{\text{visio}}{\textit{ab}\text{ oculo}} = \frac{\text{auditio.}}{\textit{ab}\text{ aure.}}$
    - β) *indeterminata* seu *infinita*, et sic vel.
      - a) *syncategorematice*
        - 1) *statice*, v. gr., $\frac{\text{intellectus}}{\text{suum esse (incorruptibile)}} = \frac{\text{sensus}}{\text{suum esse (corruptibile)}}$
        - 2) *dynamice*, v. gr., $\frac{\text{intellectus}}{\text{intellectio}} = \frac{\text{sensus}}{\text{sensatio}}$
      - b) *categorematice*......
        - 1) *statice*, v. gr., $\frac{\text{Deus}}{\text{ipsum esse}} = \frac{\text{creatura.}}{\text{esse } \textit{in}\text{ essentia}}$
        - 2) *dynamice*, v. gr., $\frac{\text{Deus}}{\text{ipsa actio}} = \frac{\text{creatura.}}{\text{actio } \textit{in}\text{ agente.}}$
  - B) *non formaliter in utraque*, sed *formaliter in una* et *virtualiter* in *altera* = analogia proportionalitatis *metaphoricae*: κατὰ μεταφοράν, (IV *Metaph.*, XII, 9 (II, 525, 13-14). Cfr. VIII *Metaph.*, I, 3 (II, 564, 18); III *Rhetor.*, II, 9 (I, 387, 28); *diversitas* vero inter proportiones illas *vel est*.
    - α) *determinata* seu *finita*, v. gr., $\frac{\text{operculum ostii}}{\text{ostium}} = \frac{\text{operculum gutturis (epiglottis)}}{\text{guttur}}$ (clavis). V *Ethic. Nic.*, 7 (II, 62, 39-40
    - β) *indeterminata* seu *infinita*, et tunc vel.
      - a) *syncategorematice*, v. gr...... $\frac{\text{pastor}}{\text{directio gregis}} = \frac{\text{superior.}}{\text{directio communitatis.}}$
      - b) *c a t egorematice*, v. gr....... $\frac{\text{sponsus}}{\text{sponsa}} = \frac{\text{Christus}}{\text{Ecclesia}} = \frac{\text{Jawhe.}}{\text{Israël.}}$
- II) NON INTRINSECE *in omnibus analogatis*, sed in *uno tantum intrinsece* et in aliis EXTRINSECE et *dependenter ab illo* = analogia secundum causas *extrinsecas* seu *attributionis*; et haec potest *esse* et *fieri aut*..............................
  - A) AB *uno*: ἀφ᾽ ἑνός. (I *Ethic. Nic.*, VI, 12 (II, 5, 14) et sic vel............
    - α) *secundum causam efficientem*, et tunc *aut*......................
      - a) *unius* AB *uno*, v. gr. Humanitas Christi *a* Christo ut Deo.
      - b) *plurium* AB *uno*, v. gr. Humanitas Christi. Baptismus.............. Eucharistia............ Alia Sacramenta...... *a* Christo ut Deo. (instrumentum a causa principali.)
    - β) *secundum causam materialem* l a r g e dictam, ut idem est ac *subjectum, vel*...
      - a) *unius* A vel IN *uno*, v. gr., intellectus humanus *a* vel *in* homine.
      - b) *plurium* A *vel* IN *uno*, v. gr. intellectus humanus, sensus humanus, color humanus *a* vel *in* homine.
  - B) AD *unum*: πρὸς ἕν (*loc. cit.*), et tunc *aut*............
    - α) *secundum causam finalem, aut*.........
      - a) *unius* AD *unum*, v. gr., cibus bonus AD bonum (salutem) hominis.
      - b) *plurium* AD *unum*, v. gr. cibus bonus, complexio bona, somnum bonum, deambulatio bona *ad* bonum hominis.
    - β) *secundum causam e x e m plarem* seu *formalem extrinsecam, vel*..............
      - a) *unius* AD *unum*, v. gr., homo pictus AD hominem vivum.
      - b) *plurium* AD *unum*, v. gr. idea artificis, pictura ejus originalis, pictura translata seu originata *ad* exemplar seu prototypum.

Divisionem hanc analogiae *adaequatam* et *immediatam* esse tam perspicuum est quam quod maxime. Est quidem *immediata* quia fit per affirmationem et negationem *causae formalis intrinsecae in omnibus analogatis;* ex eo ergo quod inter affirmationem et negationem *non datur medium,* divisio est *immediata;* ex eo autem, quod afiirmatio et negatio illa sumuntur *secundum causam formalem intrinsecam,* est divisio *formalis* et *per se*. Est etiam *adaequata,* quia non est possibile aliquam invenire analogiam quae in praedictis non contineatur; *repugnat* enim dari aliquam rationem analogam quae *in nullo* analogatorum *intrinsece* reperiatur. Huc *accedit* quod, sicut *notio* analogiae *adaequate* sumitur secundum quatuor causas (quemadmodum et notio adaequata cujuscumque rei), ita et *divisio* ejus *adaequate* sumi debet secundum quatuor causas; secus enim daretur divisio sine causa vel sine fundamento.

Ex his quoque nova confirmatio eruitur in favorem analogiae *attributionis,* prout supra explicata est; si enim analogia haec *formaliter* sumitur secundum causas *extrinsecas tantum,* plane sequitur rationem analogam in analogatis inferioribus *extrinsecam* esse et consequenter *extrinsece* denominari talia, quia *denominatio sumitur* A *forma vel a causa,* quamvis *terminetur* semper AD *subjectum* seu ad id quod loco subjecti se habet, ut supra ostensum est. Unde *logice* loquendo, analogia attributionis fit semper *ad* unum, ut *nomen ipsum* indicat (*at-tributio* = *tributio* unius vel plurium *ad* unum), propterea quod *praedicatio* est relatio praedicati *ad* subjectum vi cujus praedicatum AT*tribuitur* subjecto vel tribuitur *ad* subjectum, et in hoc sensu analogia haec non importat nisi *ad* ut *ad,* quemadmodum et relatio *formaliter* sumpta (1); at *metaphysice* loquendo (*fundamentaliter*), potest fieri et *ad* et *a,* secundum quod agitur vel de causa *finali* et *exemplari* (*ad*), vel de causa *efficienti* et *materiali* (*a*), nam etiam *proprium* subjectum est *quasi causa efficiens propriarum passionum,* quae *ab* ipso oriuntur per quamdam emanationem; nullus ergo ex illis modis excludendus est secundum doctrinam aristotelico-thomisticam, licet primus (*ad*) sit prior et formalior *quantum ad nominis impositionem* et *modum significandi; attributio* enim *proprie* loquendo est *nomen logicum,* sicut et relatio rationis quam praesefert; at, nisi *fundamentum* ejus metaphysicum in causis ponatur. *portionalitatis* **metaphoricae,** v. gr., sicut se habet volatus aquilae ad

---

(1) Ens enim rationis, quod Logica formaliter considerat, adaequate et immediate dividitur in relationem et negationem, ut suo loco demonstrabitur; praedicatio autem seu attributio non est proprie negatio, sed *relatio,* et, quia relatio *formaliter* sumitur secundum conceptum *ad,* qui *de se* non postulat entitatem realem, ideo est unicum praedicamentum quod *formaliter* potest esse ens rationis; unde et multi philosophi —immerito tamen— realitatem objectivam relationis negaverunt. Sed de his, alias.

in aequivocationem puram conventetur, quia esset nomen purum sine fundamento in re (1).

Constat etiam ex dictis vanum esse modum loquendi illorum qui analogiam proportionis admittunt simulque analogiam attributionis respuunt; nam analogia omnis essentialiter est proportio et consequenter abstrahere nequit a proportione quin abstrahat a seipsa et desinat esse analogia; et iterum quia ea quae dicitur analogia attributionis *de se* non importat nisi proportionem *simplicem*, quae *ex se* non postulat nisi duos terminos; proportio autem simplex idem est ac proportio sine addito, et ideo etiam sine addito idem est analogia attributionis et analogia proportionis (2).

Notandum tamen est analogiam istam attributionis fieri etiam posse

---

(1) Unde non sunt omnino vera quae nuperrime scripsit A. BLANCHE in docta quadam notula *Sur le sens de quelques locutions concernant l'analogie dans le langue de S. Thomas d'Aquin* apud *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques* (Janvier, 1921, p. 52-53). Postquam enim verba S. Doctoris in opusculo *De Principiis Naturae* —supra etiam a nobis relata— transcripsisset, ita pergit: "ainsi donc, suivant S. Thomas, cette analogie serait appelle analogie d'attribution, non pas, comme on pourrait le croire, parce que le nom qui convient proprement à un caractère réel, ou à l'analogue principal possédant ce caractère serait étendu par dérivation, par attribution, aux autres analoges, mais bien parce que les divers analogues sont *tous rapportés* (attribuuntur) à un même caractère réalisé seulement dans l'analogue principal.

Sans doute la difference des deux sens n'est pas grande et, dans un cas comme dans l'autre, la dépendence des analogues secondaires à l'égard de l'analogue principal est visée. Pourtant la seconde signification marque mieux le caractère de cette forme d'analogie..."

S. Thomas enim expresse dicit: "cum *aliquid* invenitur *a pluribus diversimode* participatum (analogice), oportet quod AB *eo* in quo *perfectissime* invenitur (a summo analogato) ATTRIBUATUR *omnibus illis in quibus imperfectius invenitur;* nam ea quae *positive secundum magis et minus dicuntur,* hoc habent *ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum*" (*De Potentia,* q. 3, art. 5. Cfr. etiam I, q. 16, art. 6).

Merito ergo COMPLUTENSES ita egregie exponunt: "dicuntur haec analoga analogia *attributionis aut proportionis,* quia res significata per nomen invenitur principaliter in uno A *quo* caetera *denominantur propter proportionem aut ordinem* AD *illud;* illi enim *tribuitur* quod reliqua sic denominentur" (*Collegii S. Thomae Complutensis in Universam Aristotelis Logicam quaestiones,* octava edit. Compluti, 1737; q. *7 de Antepraedic,* art. 3, n. 2, p. 368, col. 1).

(2) Ita communius scholastici, praesertim thomistae, ut videre est apud SOTUM (*loc. cit.,* fol. 53), JOANNEM A THOMA (*op. cit.,* p. 409 a). JOANNEM MARTÍNEZ DE PRADO (*op. cit.,* n. 15), COMPLUTENSES (*loc. cit.,* p. 368), RUBIUM (*loc. cit.,* n. 11, fol. 79 verso), AGUIRRE (*loc. cit.,* n. 15) et alios. Alii vero, ut CONIMBRICENSES (*loc. cit.,* p. 233), ZUMEL (*Comment.* in I, q. 13, art. 5, Salmanticae, 1590), LOSSADA (*loc. cit.,* p. 407) alias adhibent denominationes, ita ut caute sint legendi auctores diversi, ut monet eruditissimus URRÁBURU (*Inst. phil.,* edit. 2.ª Vallisoleti, 1908, t. I, p. 133, nota 4). Caeterum apud *S. Thomam* idem est dictu analogia attributionis et analogia proportionis, ut ex locis hucusque citatis constat. Alia etiam testimonia videri possunt apud A. BLANCHE: "*La notion d'analogie dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin*" (*Revue des Sc. ph. et th.,* avril, 1921, p. 169-193). Doleo sane egregium articulum tardius ad manus meas pervenisse, postquam haec omnia scripsi; libenter enim laudassem saepius.

inter terminos infinite distantes, puta inter Deum et creaturam, et quidem secundum *omnes* causas *vere extrinsecas,* id est, secundum causam *efficientem, exemplarem* et *finalem,* excepta causa materiali etiam large sumpta, quae Deo repugnat. Haec autem consideratio maximi momenti est; nam per triplicem illam analogiam patet via ascendendi demonstrative ad existentiam Dei, videlicet *per analogiam causalitatis efficientis in tribus primis viis* S. Thomae, *per analogiam causalitatis exemplaris in quarta via* et *per analogiam causalitatis finalis in via quinta;* non tamen adest ibi analogia *pure* extrinseca, sed *mixta* simul cum analogia proportionalitatis. Unde posset fieri subdivisio analogiae attributionis secundum distantiam finitam vel infinitam categorematice vel syncategorematice juxta causas extrinsecas, excepta quasi materiali; at in schemate non posui, ne nimium excresceret. Retine tamen et commenda memoriae observationem istam ut, cum legis S. Thomam, *formaliter* intelligere valeas (1).

Adverte denique rationem formalem secundum quam divisionem fecimus esse ipsam *formam intrinsecam* qua analogia *formaliter* constituitur in esse analogiae, et, secundum diversos *modos* habendi formam illam, facta est divisio; oportet enim omnia ultimatim in *formam* resolvere et *ex forma* deducere et *in forma* videre, ut metaphysicalis processus congruus sit. Omnes ergo divisiones analogiae hucusque traditae *ad* hanc divisionem reduci debent, *ex* hac deduci et judicari et *in* hac intueri, ut oculus metaphysicus dulciter quiescat in contemplatione ipsius *esse analogiae,* prout est *in forma* analoga, quae est ejus *ratio et principium essendi.*

FR. JACOBUS M.ª RAMÍREZ, O. P.

Salmanticae, in festo S. Pii V, die 5 Maji 1921.

---

(1) Id quod acute notaverat egregius metaphysicus ARAUJO, ita scribens: "similiter analogia attributionis potest dividi in illam quae est *unius ad alterum determinatae habitudinis* et in illam quae est *unius ad alterum indeterminatae habitudinis.* Et *similiter* potest dividi in illam quae est *plurium ad unum determinatae habitudinis* et in illam quae est *plurium ad unum tertium indeterminatae habitudinis.* In unaquaque tamen analogia hujusmodi differentiae divisivae diversificantur *formaliter,* eo quod proportionantur creaturae et proprietatibus sui generis proxime et immediate per illas subdivisi" (loc. cit., p. 440-441).